MASTER
NEGATIVE
NO. 93-81292-19

AUTHOR:

OLDECOP, HEINRICH

TITLE:

DE CONSOLATIONE AD LIVIAM

PLACE:

GOTTINGAE

DATE:

1911

Master Negative #

93-81292-19

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Oldecop, Heinrich 1887- De consolatione ad Liviam. Gottingae 1911: Dieterich. 89 S. 8°

Göttingen, Phil. Diss. v. 8. Juli 1911, Ref. Leo, Pohlenz

[Geb. 10. März 87 Nienburg a. Weser; Wohnort: Nienburg; Staatsangeh.: Preußen; Vorbildung: Gymn. Verden Reife O. 05; Studium: Tübingen 1, Bonn 2, Göttingen 7 S.; Rig. 14. Dez. 10.] [U 11. 1523

Vol. of theses.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 4/16/93 INITIALS BAP

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

mm

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

no 2

DE CONSOLATIONE AD LIVIAM.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

CONSENSV ET AVCTORITATE

IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

AD

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

HENRICVS OLDECOP

NIENBVRGENSIS.

GOTTINGAE

OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA TYPIS EXPRESSIT

MCMXI.

De dissertatione probanda ad ordinem philos. rettulerunt
F. Leo et M. Pohlenz.

Examen rigorosum habitum est a. d. XIX Kal. Ian. MCMXI.

Patris Manibus
S.

De consolatione ad Liviam quas retractandas mihi proposui quaestiones, eas haud vereor ne quis dicat iam esse absolutas. Nam cum nuper in Nucis elegia Wilamowitzius studium et operam collocaverit, in Ibide Ellisius, in Halieuticis Birtius, epicedion Drusi quam sit adhuc neglectum mirum est. Certe ego cum Baehrensii editione usus identidem perlegerem hoc carmen eiusque difficultates, quarum permultas inesse nemo negabit, interpretando tollere studerem, operam meam nonnumquam haud inutilem fuisse cognovi. Neque enim desunt problemata propria et quaestiones singulae quae philologorum animos allicere et tenere possint. Gravissima vero est quaestio de aetate consolationis, de qua quidem tam multi viri docti tam varias sententias protulerunt ut novi aliquid addere neque velim neque possim. Atque recte Mommsenus aliquando monuit taediosissimam rem esse sentire de sententiis. Neque tamen occasione data fieri potest quin hanc quoque quaestionem — scilicet de aetate huius carminis — denuo aggrediar. Qui enim novissimus de hac re disputavit, Skutschius, plurima posuit quae nullo modo stare possunt, quae tamen nondum quod sciam argumentis sunt refutata.

Ut iam praefandi finem faciam, via atque ratio qua mihi procedendum esse putavi, ea erit ut priore parte qua carminis lectionem constituere conabor, primum de libris manuscriptis editionibusque vetustissimis quibus uti licuit disputem quaque ratione cohaereant libri manuscripti et inter se et cum editionibus, deinde emendationis quasi

fundamentis firmis iactis locos aliquot carminis maxime controversos dubiosque interpreter et emendem atque quidquid ad explicandos illius versus commemoratu haud inutile visum sit proferam; tertio huius partis loco carmen ipsum subiuncta codicum lectione et emendatione ponam. Altera autem parte ut dixi explicare conabor quid sit iudicandum de aetate et auctore consolationis. Et quamquam non is sum qui sperem me officia quae mihi proposui ex omni parte esse absoluturum — imprimis illud lectionis restituendae —, tamen suscepi hoc munus et laetabor, si nonnulla quidem ex eis quae proferam viri docti poterunt probare.

Pars prior.

1) de codicibus et editionibus veteribus.

Qui primus consolationem secundum normam paulo severiorem castigare aggressus est, magnus ille Nicolaus Heinsius, usus est quattuor codicibus, de quibus infra fusius erit agendum. Sed hic vir doctus saepe ut in multis carminibus Latinis ingenio suo nimium indulgebat, ut spreta omni cautione scripturas traditas prorsus negleger et. Atque mansit usque ad nostra tempora tota res critica vaga atque incerta. Novelli enim editores — dico Hauptium (opusc. I, p. 316—331) et Baehrensium P. L. M. I, p. 104 sq. — codicum auctoritatem aestimare ac perpendere non satis potuerunt vel ea de causa quia ne tota quidem materia praesto eis fuit. Hauptius enim exceptis editionibus uno tantum libro usus est; et quae sit condicio editionis qua hodie vulgo uti solemus, Baehrensianae, ex hoc uno colligi potest facile quod Baehrensius ad hoc carmen recensendum praeter unum codicem Laurentianum fide nisus est editionis principis Romanae, qua duce poetae verba permultis locis immutare non dubitavit sic quidem ut eius interpolatio arbitraria pristinam

carminis speciem nonnumquam prorsus mutaverit. Annis tandem 1885 et 1887 Carolus Schenkelius in annalium quae vocantur studia Vindobonensia vol. II et VII collationem quidem praebuit quattuor codicum. In eis autem quae hic vir doctissimus paucis verbis addidit de ratione inter libros intercedente quaeque imprimis protulit contra illam normam Baehrensii, non ea quam res exigit diligentia usus est. Itaque operae pretium est denuo hanc rem tractare, praesertim cum mihi contigerit codices adhuc ignotos in usum vocare.

Primum autem breviter codices quorum collationes praesto mihi fuerunt, enumerabo; sunt hi:

A codex Laurentianus[1]) XXXVI, 2 (apud Baehrensium falso 26, 2), membranaceus, in folio minore, exeunte saec. XV, elegantissimus, diligenter exaratus, cum titulo aureo, stemmate possessoris, notulis ac summariis in margine et a Nicolao Heinsio collatus; constat foliis scriptis 225 atque continet:

P. Ovidii Nasonis de artibus amandi libri III, de remedio amoris, Heroidarum liber seu Epistulae XXI, de sine titulo liber (seu potius Amorum libri III), de tristibus, de Ponto, in Ibim, Consolatio ad Liviam Augustam de morte Drusi filii eius qui in Germania morbo periit, de medicamine faciei, Pulex, Philomena (sic!), Ovidii Vita (cf. Bandinius *catalogus codicum Latinorum Mediceae bibliothecae Laurentianae*, tom. II, pg. 227 sq., Florentiae 1768).

B codex Urbinas 353, membranaceus; titulos habet litteris maiusculis rubris; litterae initiales maiores alias aureae alias caeruleae, initiales maximae aureae tum intextis lineis tum coloribus ornatae sunt. In ff. 1—3 index in codicis opera cum eorum initiis librarii manu. In f. 5 tabula coloribus picta cum titulis operum quae codex continet. Folii 6 margines splendent auro florum sertis

1) De nonnullis scripturis mihi dubiis huius libri Camillus Morelli Romanus certiorem me fecit benigne.

candelabris geniis insignibus ac tessera gentilicia cum nomine

Federicus Dux

In f. 309 librarii subscriptio: *Federicus de Veteranis urbinas sub divo Federico urbinat. duce invictissimo Romanae ecclesiae dictatore transscripsit*, deinde alio atramento posteriore *quo principe decedente utinam et ego de medio tunc sublatus quiescerem ab instanti temporis calamitate*. Insunt autem: Probae Faltoniae cento; Vergilii P. Maronis dubia et suppositicia; Anthologiae epigrammata; Consolatio ad Liviam; Claudiani Claudii aponus; Ilias Latina; Sabini epistulae; Calpurnii et Olympii Nemesiani eclogae; Gregorii Tiferni epigrammata; Maximiani elegiae; Vegii Mafei laudensis de morte Astyanactis; Alcadini de balneis puteolanis; Philephi Marii aliqua; Valerii Flacci argonautica. cf. Cosimum Stornajolo *codices Urbinates Latini* Romae 1907.

Huius codicis aetas accuratius definiri potest. Ex subscriptione enim videmus conscriptum eum esse post annum 1474 quo Federicus Urbinensis a Sixto IV. papa dux factus est (cf. quae et hac de re et omnino de Federico iucunde scripsit E. Schmidtius in: „Zeitschrift für Geschichte und Politik", vol. V pg. 740 sq.). Confirmatur vero haec coniectura eo quod legimus in folio VI maiusculis litteris. Quicumque autem codices ante hunc annum confecti sunt, subscriptionem habent F. C., h. e. Federicus Comes, ut ex. gr. cod. 281 (Ciceronianus), quem scriptum esse anno 1462 indicatur.

C codex Butlerianus 11973, asservatus in museo Britannico, saec. XV exeunte, constans foliis 121, chartaceus (paginae 5 et 117 membranaceae). Continet

f. 8—108 Fastorum libros VI
f. 108—118 consolationem ad Liviam.

Ascripta sunt et ad Fastorum libros et ad consolationem scholia, quae quidem nullius pretii sunt et ad lectionem consolationis restituendam auxilium nullum afferunt (cf. Schenkelium stud. Vindob. II p. 57).

D codex Ottobonianus 1469, in bibliotheca Vaticana asservatus, saec. XV exeunte, membranaceus, 49 folior. in 4⁰. Continet

Ovidii epistulas ex Ponto.
Tristia.
Ibim.
Consolationem ad Liviam.

(cf. Schenkelium stud. Vindob. VII p. 339).

E codex Bodleianus bibliothecae Oxoniensis auct. F. I, 18, membranaceus, forma octonaria maiore, foliis constans 318, anno 1483 scriptus ut testatur subscriptio ad calcem adiecta: *Antonius Sinibaldus Florentinus transscripsit pro . . . Domino Iohanni de Aragonia tituli Sancti Hadryani Cardinali dignissimo Florentiae anno Domini MCCCCLXXXIII Maii IIII. Emendatum quam accuratissime per clarissimum virum Bernar[dum] S. Francisci civem Florentinum ad instantiam prefati R^MI Cardinalis.* Carmina Ovidiana et Pseudo-Ovidiana hoc exhibet ordine:

1) Heroides
2) consolationem ad Liviam
3) In Ibim
4) De pulice
5) De Philomela
6) De Nuce
7) De arte amandi
8) Amores
9) De remedio amoris
10) Fastorum libros
11) De tristibus
12) De Ponto.

Collationem huius codicis debeo Alberto C. Clarkio Oxoniensi, viro illustrissimo, cui gratias ago sinceras.

F codex Vaticanus Reginae 1621, ff. 16, membranaceus; nihil aliud continet nisi consolationem; scriptus est anno 1493 subscriptione teste *(epistula scripta fuit die XVII Aprilis MCCCCLXXXXIII).*

Collationem huius codicis liberaliter Georgius Pasquali Romanus mihi paravit.

[**G** codex Romanus Heinsii: cf. p. 31 sq.].

H codex Dresdensis 147; membranaceus, 149 folior. in 4°, saec. XV exeunte — accuratius aetatis indicium nullum deprehenditur — eleganter scriptus, litteris initialibus pictis librorumque inscriptionibus auro exaratis. Ad marginem ascriptae sunt variae scripturae a manu coaeva. Olim hunc codicem pertinuisse ad quendam ex gente Visconti docent insignia gentilicia in prima pagina picta. Continet autem hic codex

1) Ovidii tristium libros V; fol. 1a.
2) Eiusdem de Ponto libros IV; fol. 72a.
3) Eiusdem de nuce libellum; fol. 136b.
4) Eiusdem ad Liviam de morte Drusi; fol. 141a.

Goetzius qui illum anno 1742 Venetiis emit — ut docet nota in prima pagina scripta — rettulit de eo in libro qui inscribitur „Merckwürdigkeiten der Königlichen Bibliothek zu Dresden" 1746 vol. III p. 369. Ipse hunc codicem liberalitate bibliothecae Regiae Dresdensis Gottingam transmissum denuo contuli.

[**K** codex Combianus Heinsii: cf. p. 26 sq.].

Praeter hos libros manuscriptos in censum veniunt editiones hae:

l editio princeps Romana anno 1741 in lucem emissa (cf. de hac editione Audiffredi *catalogus historico-criticus Romanarum editionum saec. XV*, pg. 77 et Graessium *trésor de livres rares et précieux* vol. V pg. 67).

m editio Veneta anni 1474, de qua vide Graessium l. c.

Quod vero ad reliquas editiones attinet, ex his fontibus non multum bonae frugis hauriri potest; itaque summatim ubi scripturam commemoratu dignam exhibent, laudabo nec enucleatius enotabo nisi graviora. Praesto mihi erant hae quarum plurimae in Gottingensi bibliotheca extant:

1) editio Mediolanensis, impressa anno 1477, cum hac subscriptione *Anno domini MCCCCLXXVI idus septēbris ... Mediolani impressit Antonius Zarotus Parmēsis artifex eximius.* Consolatio ad Liviam extat in volumine tertio (cf. Saxium hist. litt. Mediol. p. 149),

2) editio Parmensis anni 1477 *ductu et īpensis Stephani Coralli Lugdunensis impressa.* Volumen tertium continet Fastos; Tristia; De Ponto; De pulice; De Philomela; De medicamine faciei; De Nuce; Consolationem ad Liviam,

3) editio anno 1480 Vicentiae impressa, cuius fine leguntur haec: *Finis omnium librorum P. Ovidii qui exstant, eos quam accuratissime emendatos a Barnaba Celsano vicētino, īpressit Hermannus Coloniensis Lichtenstein, Vicentiae MCCCCLXXX.* In fine voluminis alterius extat consolatio Liviae,

4) Aldinae — prima a. 1502, secunda a. 1516 — editiones, de quibus cf. A. Renouard *annales de l'imprimerie des Aldes* Paris 1834, pg. 39 sq. et F. Didot *Alde Manuce* Paris 1875, pg. 224. Cum primae lectio non prodat recensionem novam, editio Aldina secunda eo potissimum est notabilis quod in ea crisis Ovidianae prima sunt initia facta ab Andrea Naugerio, uno ex doctis academiae Aldinae. Huius notae criticae praemissae sunt volumini Metamorphoseon libros continenti *(annotationes in omnia Ovidii opera)*, quod impressum est *Venetiis in aedibus Aldi et Andreae Soceri mense Februario anni MDXVI.* Ceterum postea illae Naugerii annotationes editae sunt una cum ceteris eius operibus sub titulo *Andreae Naugerii patricii Veneti oratoris poetae clarissimi opera omnia quae quidem magna adhibita diligentia colligi potuerunt, curantibus Io. Antonio et Caietano Vulpiis, Patavii 1618.* Extant autem quae adnotavit ad consolationem Liviae in huius libri paginis 166—168.

Horum igitur librorum collationes mihi in promptu sunt. Atque his copiis instructo iam ad principalem quaestionem licet accedere et inquirere qua ratione cohaereant libri et inter se et cum editionibus vetustissimis. Qua de re disputaturus hoc praemoneam me omittere

Bahrensii opinionem ex editione Romana ceteros omnes libros fluxisse autumantis, quod ineptum esse apparet. Sed videamus quo modo res se habeat. Atque primum velim teneatur ex eodem manasse archetypo omnes libros et scriptos et impressos, quod comprobatur corruptelis communibus hisce:

	lectio depravata:	lectio coniectura quidem, sed recte restituta:
v. 37	magna	vana
v. 39	veluti	voti
v. 42	iam	tam
v. 88	orbe	ore
v. 98	caecas (A. emend.)	caesas
v. 106	daunias	daulias
v. 114	ictus	intus
v. 115	gemitum	gremium
v. 207	luctu	lecti
v. 215	vult	tulit
v. 236	funera causa latet	*v. infra*
v. 289	in lacrimas	illacrimans
v. 371	ubique inique Hl	iniquis
v. 386	Itargus	Isargus
v. 444	tenenda	renenda
v. 466	et merui (e ≡ merui A).	emerui

Quod demonstrare volui, vel ex his locis plane apparet, scil. communem libris ex uno originem fuisse. Duos autem versus etiam afferam quos scriptura aperte corruptissima laborantes omnes libri constanter tuentur, dico v. 43

quidque pudicitia tantum inviolata bonorum

et v. 103

te queritur casusque malos irrisaque tales

de quibus versibus emendandis aptius postea agetur.

Cum igitur viderimus libros omnes ex uno eodemque provenisse archetypo, iam inquirendum est quaenam inter singulos intercedat ratio. Primum — ut summatim dicam — duas librorum quos enumeravi familias distingui posse dico, alteram quae constet codicibus *B C A D E* editioneque *m*, alteram cuius sint codex *H* et editio *l* (et codex Combianus Heinsii). Qua in re cum nihil dispiciatur nisi apposito librorum testimonio, locos iam afferam qui recte me iudicasse ostendunt; conferas quaeso has scripturas varias:

	prior fam. (*B C A D E m*)	alt. fam. (*H K l*)
v. 11	es	est *l* es ≡ *H*
v. 24	coli est iusque	coli iusque
v. 75	in cassum	in longum
v. 78	magni	magnum
v. 84	dubitatur	dubitatus
v. 131	quae ego non	quae non ego
v. 172	primae	patriae
v. 177	consuluit	consul init
v. 240	pollice quae certo pensa severa trahunt	impia quae certo pollice pensa trahunt
v. 371	ubique	inique
v. 372	sustulit	sustinet
v. 445	nebulosum littus	nebulosi in littore.

Satis opinor elucet ex his locis — quibus infra, ubi agam de altero ordine, plures addam — in duas familias discedere libros. Iam igitur quaerendum est quali necessitate coniuncti sint libri prioris familiae. Neque enim fugit me, etiamsi aperta inter hos sex libros coniunctio sit, tamen inter eos etiam discrepantias quasdam extare. Atque primum codex *B* locum obtinet proprium; locos iam afferam qui ad iudicandum ansam praebent, deinde autem pervestigabo quidnam ex eis colligamus:

v. 35 occurret] occurrit *B*
v. 47 nocuisse] non iusse *B*
v. 55 una] ulla *B*

v. 71 Drusus] soror *B*
v. 79 nec tu tot verba] nec tu totūba *B*
v. 83 heu] heud *B*
v. 93 iam iamque / iam tum *H*] iam iam *B*
nutantia / natantia *l*] micantia *B*
v. 120 singultu medios] singultum m. *B*
v. 130 rear] reor *B*
v. 165 sua] tua *B*
v. 230 proluere] pulvere *B*
amne] anne *B*
v. 247 cecinere] cecidere *B*
v. 266 effugit] efficit *B*
v. 269 stabis] stabit *B*
v. 280 strata] fracta *B*
v. 285 numeros] numero *B*
v. 315 tibi] cibi *B*
v. 344 principibus] principus *(i. e. iis)* *B*
v. 391 romanis] romanus *B*
v. 395 qui dolor et / quique dolor *l* / quique dolor ≡ C_1] quique dolor et *B*
v. 408 praecunte] pereunte *B*
v. 418 heu] hem *B*
v. 433 thetidi] chetidi *B*
v. 435 crinem] crimen *B*
v. 440 avidi] vita *B*

Ex locis quos exscripsi plane apparet eum qui hunc codicem exaravit, haud ita peritum fuisse linguae Latinae ut quae scriberet probe intellegeret, satis autem fideliter quem ante se habebat librum expressisse, ut docent et aliae scripturae et quae extat in v. 79 *totūba* (ceteri male *tot verba*). Nonnumquam errorum segetem librarius sibi propagavit compendiis, quae invenit in exemplari suo, non recte solutis, ut ex. gr. in v. 230 *pluere = proluere*, pro quo inepte in *B pulvere;* in v. 408 confudit

p̄eunte (= praeeunte) cum ꝑeunte (= pereunte). Patrem librorum *A B C D E m* communem scriptum fuisse litteris minusculis concludi potest e versu 93, ubi *B micantia*, ceteri *nutantia* (editio *l* sola recte *natantia*). Et quamquam universi librarii errores recensendi mihi non videntur, hoc quidem adnotem litteras *c* et *t* simillimam formam habuisse, ut facile commutari possent: cf. v. 316 *cibi* pro *tibi*, v. 433 *chetidi* pro *thetidi* (de qua mendi specie dixit eiusque exempla attulit G. Heraeus *quaestiones criticae et palaeographicae de vetustissimis codicibus Livianis* pg. 101). Sed nonnullae inveniuntur commutationes quae quomodo e minusculis litteris explicari possint, non satis perspicio. Nonne ad maiusculas spectare videtur quod codex *B* praebet in v. 266 *effugit* pro *efficit?* Certe hoc accurate considerare operae pretium est; statim autem hoc loco dicam pauca quidem huius speciei extare exempla in libris consolationis, sed extare. In versu 395 accurate redditum est quod scriptum fuit in communi libro, cuius rei vestigia etiam deprehenduntur in eo quod exhibet codex *C*, in quo *quique dolor* ≡. Omnino codicem *B* optime exemplaris huius familiae communis similitudinem reddere iudico.

Iam transeamus ad codicem *C* quem pertinere ad priorem ordinem supra ostendi. Nonnumquam tamen discedere a reliquis huius familiae libris aperte docent hi loci:

v. 89 tempore] pectore *C*
v. 122 *om v. 122 et 123* [1]) *C*
v. 126 haec] nec *C*
v. 167 matri] marti *C*
v. 211 omen] omnem *C*
v. 229 aquas] equor *C*

---

1) Quod hi versus etiam in codice *H* omittuntur, cave ne praepropere inde de communi codicum origine coniecturam facias. Scilicet quam facile versus illi omitti potuerint apparet, cum versus 124 eisdem verbis et incipiat et finiatur quibus v. 122.

v. 251 explicat] inrigat *C*
v. 287 conspiciet] conspiceret *C*
v. 313 suevos] saevos *C*
v. 319 cum] cur *C*
v. 334 vinctus] victus *C*
v. 336 imperio] impium *C*

Priusquam exponamus quid ex his scripturis sequi videatur, locorum series perlustranda est in quibus libri *A D E m* mire inter se congruunt dissidentibus et *B C* et *H l.* Eiusmodi locos deprehendi hos:

v. 3 miserabile] mirabile *A D E m*
v. 101 Zephyris] Zephyrus *A D E m*
v. 104 accusat] accusant *A D E m*
v. 111 clymeneides] clymeneidos *A D E m*
v. 215 quod] quid *A D E m*
v. 222 nubilus] nubibus *A D E m*
v. 387 rapax] capax *A D E m*
v. 395 lenissimus] lev. *A D E m.*

Quid igitur statuendum est? Nonne probabile videtur descriptos esse hos quattuor libros de exemplari, quod invicem ex illo omnium huius ordinis librorum communi apographo desumptum frater quasi codicum *B* et *C* nominari possit? Quod vero singulis locis non omnes huius speciei libri — dico *A D E m* — in scriptura mutata consentiunt, non obstat quominus omnes ad idem exemplar redire statuamus. Etenim sine dubio is qui hoc exemplar exaravit, munere suo ita functus est ut passim scriptura de suo illata aut quod genuinum fuerat superscriberet sive ascriberet aut invicem ita ut librariis inde describentibus liberum esset eligendi iudicium. Cuius rei nonnulla exempla proferam. In versu 319 exhibent *A* et *m axem*, ceteri omnes *axes.* Apparet in communi exemplari — librorum *A D E m* scilicet — praeter *axes* scriptum fuisse *axem,* quod temere librarii librorum *A* et *m* arripuerunt. Optimo iure dico temere; nullam enim causam esse cur in illa coniectura acquiescamus — quod fecit Baehrensius et Hauptius ipse —, et

Ovidii met. II, 148; IV, 634 et alii loci docent, ubi poetae numerum pluralem *axes* usurpaverunt sine discrimine pro singulari (cf. Thes. l. lat. vol. II, pg. 744; P. Maas „Studien zum poet. Plural bei den Römern“ in annal. Woelflianis, vol. XII (1902) pg. 515). Porro: in versu 90 extat in codicibus *D* et *E illa* pro *ille;* vix illam scripturam librariorum neglegentiae tribuere licet: mirum profecto esset si uterque in idem mendum incidisset. Immo librarius exemplaris ad quod redeunt *A D E m,* scripsit et quod invenit *ille* et quod coniecit ad Liviam ipsam respiciens *illa,* quod quidem sensu carere non est quod moneam. Sed haec hactenus. Ostendi igitur — ut disperse dictas res reminiscendi causa unum sub aspectum subiciam — primum libros *B C A D E m* ad unum idemque apographon redire, deinde codices *B* et *C* ex illo apographo ortos esse nullo exemplari intercedente, denique libros *A D E m* haustos esse ab exemplari, quod ipsum ex illo apographo desumptum sit.

Restat ut de singulis libris pauca verba faciam; de codice *B* iam supra egi. Librarius codicis *C* satis ineptus homo fuisse videtur. Menda enim quae hic codex nova habet, non interpolandi libidine, sed stultitia explicantur eius qui librum exaravit; qui de sensu securus verba Latina pingere sat habuit (cf. v. 89, 167, 211, 313, 336). Unus tamen locus extat, ubi nescio quo pacto ceteris omnibus libris dissidentibus rectam lectionem exhibet, videlicet in versu 211 *aversantibus* pro *adversantibus,* quod illi inepte. De scripturis quae huic codici correctoris manu ascriptae sunt, aptius infra agetur.

Quod dixi de librario codicis *C,* idem cadere in eum qui scripsit codicem *D,* manifestum fit, ubicumque eius manum certo deprehendimus; consideres quaeso hos locos:

v. 62 res] rex *D*
v. 66 ille] esse *D*
v. 75 druse] drese *D*
v. 141 funere] fune *D*

v. 148 fuit] fui *D* (referendum ad initium versus *iamne fui*)
v. 150 an] non *D*
v. 154 vocare] vacare *D*
v. 169 arsuris] ausuris *D*
v. 180 uouerat] noverat *D*
v. 194 suscipiam] suspiciam *D*
v. 220 redit] dedit *D*
v. 294 tota] rota *D*
v. 312 suevos] suetos *D*
v. 386 infecta] infesta *D*
v. 418 nolis] molis *D*
v. 454 meus] metus *D*
v. 459 lauro] lauto *D*.

Ex tabula ipsa concludere licet; non solum enim satis neglegentem in transscribendo fuisse librarium videmus, sed etiam linguae Latinae satis imperitum.

Pauca peculiaria praebet codex *E*; accurate exaratus est exceptis nonnullis mendis facile corrigendis, ut

v. 2 abest] inest *E*
v. 35 sic] si *E*.

Ceterum sermo redibit ad hunc librum, ubi de codicibus Heinsianis erit agendum.

Quod ad editionem *m* attinet, haec quidem cum editione *l* nullo modo comparari potest; ad lectionem vero restituendam tam leve momentum facit, ut sine magno detrimento prorsus fere neglegi possit; abundat novis mendis et erratis, quorum enotavi haec:

v. 47 nocuisse ulli] novisse nulli *m*
v. 199 rigantibus] rigantitus *m*
v. 241 Iliade] illi aedes *m*
v. 252 pumice] punice *m*
v. 271 ius] vis *m*
v. 363 nunc] hunc *m*
v. 389 dalmata] delmata *m*.

Quid denique iudicandum sit de codice *A*, videamus. Loci in quibus solus ille contra ceteros stat, sunt hi:

v. 7, 8: et quisquam] ecquisquam *A*
v. 50 citra] cura *A*
v. 86 permissa] prom. *A* (*ro* in ras; prom. *H l*)
v. 98 caecas] caesas *A*
v. 137 tuorque] tueorque *A*
v. 171 venerabile] miserabile *A*
v. 174 erat] eras *A*
v. 184 illic] illi *A*
v. 193 aut *B C D E m* / autem *H l (K)*] haud *A*
v. 202 adsumus / adsumis *m*] adstitit *A*
v. 210 ossa / ora *H*] orsa *A*
v. 281 tanta ferentem] laeta f. *A*
v. 294 in tota] et tota *A*
v. 308 motam *B D E m* / mota in *H l*] mota ad *A*
v. 441 huc] haec *A*
v. 466 et merui] e ≡ merui *A*
v. 467 et cuiquam] eccuiquam *A*.

Quamquam ex hac serie locos quosdam fortasse neglegentiae librarii tribuere licet — ut in v. 50; v. 281 *laeta* haud dubie referendum ad exitum versus 279, ubi *laetaque videbo*; v. 184 —, tamen nonnumquam certa vestigia correctoris occurrunt. Quid quod legitur in v. 202 *adstitit*, nonne eius manum certo deprehendimus? Cum enim notionem quae dicitur collectivam nominis *eques* (cf. Ov. fast IV, 293; Hor. ep. II, 1, 185) non caperet, pro *adsumus* temere ad *omnis eques* posuit formam numeri singularis *adstitit*. Similiter intellegendum est quod legitur in v. 308 *mota ad*; in libro communi scriptum fuit *motam* (cf. *B C D E m*); in quo librarius codicis *A* suo iure haerens scripsit *mota ad* haud inepte quidem, sed tamen falso ut illustrant libri *H l*, in quibus recte *mota in*. Aperte deinde coniectura est quod legimus in v. 441 *prisca quid haec repeto* pro *p. quid huc r.* Sed omnes has

scripturas tractare longum est (cf. etiam v. 137, 171, 193, 294). Duos tantum locos afferam, ubi librarius ille manu emendatrice feliciter usus lectionem genuinam restituisse videtur, dico v. 210, ubi extat in *A orsa* pro illo ineptissimo *ossa* (non melius *H ora*), atque v. 416, ubi recte *emerui*.

Haec fere habuimus de priore familia[1]) quae disputaremus. Iam transeamus ad alterum ordinem, quem comprehendere libros *D l* — ad quos accedere Combianum Heinsii infra docebo — supra dixi. Quo facilius autem cognosci possit, quae relatio statuenda sit inter *H K l* et reliquos libros, subiungo scripturarum exempla; quorum locorum quamquam supra, ubi de duabus familiis in universum dixi, nonnullos attuli, non piget me omnes — de quibus quam certissimum iudicium faciendum erit — brevi conspectu collectos proponere:

v. 11 es] est *l* es ≡ *H*
v. 24 coli est iusque] om. est *H l*
v. 75 in cassum] in longum *H l*
v. 78 magni] magnum *H l*
v. 84 dubitatur] dubitatus *H l*

---

1) de codice Reginae *(F)* pauca in transcursu verba faciam. Apparet descriptum illum esse ex editione Ovidiana quae anno 1492 — codicem *F* exaratum esse anno 1493 supra commemoravi — a Lazaro de Saviliano impressa est Venetiis. Editionem illam *(v)* omisi, cum ad lectionem momentum faciat nullum; proxime accedit ad apographon illud ex quo fluxerunt libri *A D E m*, ut docent hae scripturae:

v. 3 mirabile *v (A D E m)*
v. 101 Zephyrus *v (A D E m)*
v. 387 capax *v (A D E m)*.

Habet autem haec editio nova menda haud pauca, quae fideliter librarius codicis Reginae reddidit; ad rem illustrandam satis habeo hos locos attulisse:

v. 114 oculis] oculit *v F*
v. 125 heu modo] humido *v F*
v. 155 iubet hic] iubet hinc *v F*
v. 235 periit periitque] periit per iique *v F*
v. 287 nec sua] non sua *v F*.

v. 131 quae ego non] quae non ego *H l*
v. 141 quo] quos *H l*
v. 149 referatur] referetur *H l*
v. 172 primae] patriae *H l*
v. 177 consuluit] consul init *H l*
v. 240 pollice quae certo pensa severa trahunt] impia quae certo pollice pensa trahunt *H l*
v. 252 strictaque] structaque *H l*
v. 304 visa] iussa *H l*
v. 307 pro verba] per v. *H l*
v. 349 alto] alte *H l*
v. 354 quo] quod *H l*
v. 371 ubique] inique *H l*
v. 372 sustulit] sustinet *H l*
v. 394 tibi] tui *H l*
v. 433 haec] hoc *H l*
v. 445 nebulosum littus] nebulosi in littore *H l*
v. 457 consulet] consul et *H l*.

Vides communem librorum *H l* originem manifestas lectionis cum ceterorum librorum discrepantias prae se ferre. Ut iam iudicium certum faciamus, scripturae variae accuratius tractandae sunt. Plurimae enim ita sunt comparatae, ut neque de librarii neglegentia neque de coniectura cogitare liceat. Animum velim attendas ad versus 75 et 76. In libris igitur ordinis quem vocavi priorem, hoc distichon sic legitur:

cedis et in cassum tua nomina, Druse, levantur
ultima sit fati summa querella tui

in libris *H l* sic:

cedis et in longum tua nomina, Druse, levantur
ultima sit fati summa querella tui.

Si velim enumerare cuncta virorum doctorum ad expediendos hos versus temptamina, dies ut dicunt deficiat; omnes autem istae explicationes recidunt ad nihilum. Nam quid illud *levantur* sit, nullo modo intellegi potest; certe propter totum sententiarum conexum *leventur* necessarium

videtur. Tamen locus ne ita quidem sanus esset. Quid tandem significant verba quae sequuntur *ultima sit fati summa querella tui?* Ab hoc igitur versu proficiscamur. Verba *sit f. s. q. tui* nemo non perspiciet: *summa* scilicet hoc loco *novissima* significare non est quod moneam. Ergo post *ultima* est distinguendum atque totum distichon lenissima coniectura Friderici Leo sic legendum:

cedis et in longum tua nomina, Druse, legantur
ultima: sit fati summa querella tui,

legantur scil. in titulo sepulcrali (cf. v. 458). Vides autem ex parvo initio satis gravem illam interpolationem *in cassum* ortam esse; primum scilicet levi vitio scriptum erat *levantur;* hinc sciolus iste qui apographon libris prioris generis commune exaravit, cum nomina Drusi in longum *levari* inepte legi putaret, mutavit cetera de sententiae quam restituit perversitate securus. Quid ergo? Nonne summae libris *H l* laudi tribuemus quod vestigia quidem lectionis genuinae servaverunt itaque nobis ansam ad verba ipsa poetae restituenda dederunt? Altero exemplo rem illustrabo. In v. 240 legimus haec:

pollice quae certo pensa severa trahunt B C A D E m
impia quae certo pollice pensa trahunt H l.

Nempe negari non potest quod legitur in prioris familiae libris, satis apte legi. Attamen vel potius ea ipsa de causa adducor, ut valde dubitem, num illa lectio sit genuina. Nam qui versum ita constituit, interpolationem ni fallor fecit propter *impia,* quod ex adiectivo quale *invida* vel *aspera* corruptum sit. Suo iure igitur — ut post eum Heinsius quoque — haerebat in *impia,* temere autem mutavit totum locum. Quod vero Schenkelius (l. c. p. 61), qui lectionem *pollice quae* . . . defendere studet, contradicit confirmari illam eodem versuum Ovidianorum exitu (Ov. her. III, 75; fast. II, 743; met. XIII, 511), hoc argumentum est anceps in utramque partem. Immo apparet cum lectio *pollice quae certo* . . . quomodo quaque de causa facta sit ex *impia* . . ., facile sit intellectu, contrarium minime explicari posse. Sed — ne iusto diutius versemur

in hoc loco — insigne utique habes artis interpolandi exemplum, vides autem simul, quanta cautione illae scripturae librorum *B C A D E m* adhibendae sint. Deinde versus 77 et 78 libri *H l* cum sic exhibeant:

iste potest implere dolor vel saecula tota
et magnum luctus obtinuisse locum,

ceteri libri in versu pentametro pro *magnum* praebent *magni,* quod inepte dictum, cum de ipsa luctus magnitudine dubitari nequeat. Aperte hoc poeta voluit dolorem Drusi amissi per tota saecula (male Baehrensius *fercula*) animos occupare et magnum luctus locum obtinere posse, luctus scil. qui omnino homines occupet vel occupaturus sit.

Pronominis *ego* transpositionem quae in v. 131 extat in libris *B C* etc., eo nimirum ortam esse in propatulo est, quod omissum inter scribendum vel inter lineas vel in margine codicis archetypi suppletum erat; suo loco libros *H l* id exhibere non est quod lectorem moneam. Quid plura? Accedunt sane ad locos quos accuratius tractare debebam, illi unde per se apparet, quantum prae ceteris emineant libri *H l;* his opinor locis res omnibus in professo est: v. 84, 141, 172, 177, 304, 457. Atque iam credo te mihi oblocuturum non esse ubi in libris *H l (K)* praestantiae laudem quandam lectionis esse contendero.

Verum enimvero moneo, ne quis ex deterioribus libris nihil lucri captum iri opinetur atque apertam quidem illam praestantiam librorum *Hl* ita intellegat, ut temere omnique cautione spreta omnes horum scripturas cupide arripere nobis liceat. Nam ne his quidem — dico *Hl* — temere uti nobis licere docent cum quae uterque ex eis exhibet propria suaque — de quibus infra fusius agam — tum quod tuentur pariter ex. gr. in v. 349, ubi cum libris prioris ordinis legendum est *alto* (cf. pg. 49).

Liceat mihi in transitu quasi hoc loco pauca inserere de scripturis illis quae correctoris manu coaeva fere co-

dici *C* ascriptae sunt. Spectare illius coniecturas ad alteram familiam intelleges cum hos locos inspexeris:

v. 75 in cassum] in longum C_2 *H l*
v. 111 climeneidos] climeneides C_2 *H l*
v. 141 quo] quos C_2 *H l*
v. 172 primae] patriae C_2 *H l*
v. 177 consuluit] consul init C_2 *H l*
v. 433 haec] hoc C_2 *H l*
v. 457 consulet] consul et C_2 *H l*.

Haec res per se scilicet haud ita gravis est, digna tamen quam adnotemus neque neglegamus ea de causa, quia videmus exemplar familiae, quam vocamus alteram, quondam non tam ignotum fuisse ut his temporibus videtur esse. Alium huius ordinis librum investigare et in lucem proferre mihi non contigit, quamquam permultos bibliothecarum catalogos perscrutatus sum.

Ad unum apographon redire *H* et *l* luce ipsa clarius est. Quali autem necessitate hi libri coniuncti sint, accurate tum demum exponere poterimus, cum codices Heinsianos in disputationem vocaverimus. Sed priusquam ad hanc rem accedamus, nonnulla breviter tractemus, quae sunt propria editionis *l*. Quae stat contra ceteros omnes libros his locis:

v. 9 quamvis] quoivis *l* (cuicumque *H*)
v. 34 osque oculos / os oculosque *H*] os oculos *l*
v. 45 saecula] contia *l*
v. 76 fati haec] haec *om. l*
v. 93 nutantia / micantia *B*] natantia *l*
v. 95 figit / fingit *C* / sumpsit *H*] fregit *l*
v. 109 pennis] pinnis *l*
v. 116 gravidis] gravibus *l*
v. 119 orsa est] est *om. l*

v. 122/24 confectae] conspectae *l*
v. 127 matris] nostris *l*
v. 145 non] sum *l*
v. 198 destituitque] destituique *l*
v. 222 e medio] et medio *l*
v. 251 explicat] explicit *l*
v. 293 caremus] canemus *l*
v. 321 ferienda] furibunda *l*
v. 356 quam si] quin tu *l*
v. 366 et *(praeter H)*] ex *l*
v. 410 numen] lumen *l*
v. 416 volet] velit *l*.

Omnes has scripturas singillatim perpendere atque aestimare supersedebimus. Nempe plurimae haud magni sunt aestimandae. Ubique fere genuinam lectionem mutatam esse mala correctoris coniectura apparet, ut in v. 45 *contia* inepte scriptum est pro *saecula*, in v. 127 *nostris* sine causa pro *matris*, quam vocem Livia cum emphasi quadam apte de se ipsa pronuntiat; ut deinde in v. 116 *gravibus* pro *gravidis*, in v. 145 *iamne ego sum felix* pro *iamne ego non f.*, in v. 321 *furibunda* pro *ferienda*. Sola autem rectum exhibere videtur editio princeps his locis: v. 93 natantia, v. 222 *et medio*, utrumque scil. emendatoris; lectionem quae invenitur in versibus 122 et 124 *conspectae* genuinam esse infra exponam et ut potero confirmabo (cf. pg. 43). Sed haec hactenus. Vides quam incertum sit fundamentum editionis Baehrensii, qui hac editione Romana sola nixus est sic quidem, ut reliquorum librorum scripturas prorsus fere respueret atque in malam partem abiceret, qua in re tam longe processit, ut ubicumque ea ipsa exhibet mendum apertum aut interpolationem certam, huic mendo sive interpolationi nova coniectura succurrere studens lectionem consolationis nimirum obscuraret.

Tempus est iam aliquid dicere de codicibus Heinsianis, quos pluribus de causis dignos esse qui diligentius tractentur, videbimus. Heinsium usum esse quattuor codicibus iam supra commemoravi; de quibus ipse dicit: *Quorum*

(scil. codicum) *unum Romae apud amicum vidi; secundum Florentiae in Medicea bibliotheca. Tertius et quartus penes me extant, quorum altero heredes Combiani Venetiis me donarunt, altero vir amicissimus Lucas Langermannus Neapoli advecto.* Haec Heinsius in commentario suo ad carmina Ovidiana conscripto, vol. I, p. 393. Sequitur ut inquiramus quid de singulis illius libris dicere possimus. Hanc quidem quaestionem difficiliorem fecit ipse eo quod non semper lectioni cuidam nomen codicis in quo illam invenit addidit, sed saepe satis habebat verbis incertissimis uti. Quid quaeso faciamus quidve lucremur talibus notis quales sunt *unus codex* vel *veteres nonnulli* vel *ita duo mss. alii totidem* aliaque id genus plura? Neque tamen usum illius aetatis Heinsio vitio dare licet.

In consolatione Liviae quidem — ut ad propositum revertar — secundo casu factum est, ut satis accurate quid quisque liber Heinsianus exhibuerit, inquirere possimus. Ordiamur a codice Mediceo; hunc eundem esse quem nos Laurentianum appellare solemus, et e nota primo folio ascripta colligi potest *(quae in hoc codice continentur, contuli N. H.)* et loci docent ubi ille nominatim ab Heinsio affertur, quod factum esse videmus in v. 98, 294, 391, 441, 466. Non autem ea quae nunc desideratur in philologo diligentia, virum doctum usum esse in libris conferendis apparet etiam ex eo, quod adnotat ad v. 445 *Mediceus et Combianus cum prima editione nebulosi in littore.* Exhibet autem codex Laurentianus — Mediceus *nebulosum littus.*

Secundus codex qui Heinsio praesto fuit, est Combianus, quem littera *K* designabo. Hunc ad familiam quam diximus alteram *(H l)* pertinere facile intelleges, cum animum adverteris ad has scripturas:

v. 172 primae] patriae *H K l*
v. 349 alto] alte *H K l*
v. 445 nebulosum littus] nebulosi in littore *H K l.*

Summa vero adfinitate conexum esse Combianum cum nostro Dresdensi[1]) codice ex his locis perspicitur:

v. 103 casusque malos irrisaque tales] casusque etiam derisa malignos *H K*
v. 125 heu modo tantus ubi es] qui modo tantus eras *H K*
v. 134 suus] sinus *H K*
v. 218 ast] at *H K*
v. 222 sustulit e medio] / sustulit et medio *l*] et tulit e medio *H K*
v. 393 foetus] functus *H K (A emend.)*
v. 403 gravi nocte] / gradus note *l*] gravis notae *HK.*

Accedunt ei loci, ubi quamquam Heinsius nomen ipsum quidem codicis *K* non affert, tamen e ratione quam intercedere inter Combianum et Dresdensem e locis modo allatis videmus, facile conicere possumus de nullo alio sermonem esse nisi de hoc Combiano. Quod ex. gr. ad v. 95 adnotat *'sumsit' tamen hic unus codex* apparet illum *unum* esse Combianum, quandoquidem Dresdensis quoque — et is solus ex nostris — exhibet *sumpsit.* Eadem ratione concludere licet his locis Combianum dici:

v. 149 referatur] referetur
v. 170 inter quaeque ruit] inter quaeque ruens

---

1) Similitudo horum codicum tanta est, ut ego ipse primum dubitaverim, an forte Dresdensis idem sit atque Combianus ille. Sed hanc opinionem minime esse veri similem mihi concedes, si hoc tecum consideraveris: codicem qui nunc asservatur in publica bibliotheca Dresdensi, Goetzium Venetiis emisse anno 1742 indicatur in primo folio; codicem Combianum Venetiis ab heredibus Combianis se accepisse Heinsius testatur (cf. supra). Ergo si Dresdensis esset idem atque Combianus, hic post Heinsii mortem — qui obiit anno 1682 — denuo Venetias unde venerat delatus esset, quod quidem cogitari potest, veritatis tamen specie caret. Ceterum ex hac re elucet exemplar unde codices *H* et *K* provenerint Venetianum fuisse. — Ubi nunc sit Combianus, investigare non potui; fortasse alius quis utetur fortuna prosperiore.

v. 177 consuluit] consul init
v. 210 ossa] ora
orsa *A*]
v. 354 quo] quod
v. 371 ubique] inique
v. 372 sustulit] sustinet
v. 396 acciperes] accipere es
v. 404 et immensi] sanctaque divini.

Codicem Combianum ad familiam *H l* pertinere iam luce ipsa clarius est. Non minus vero clarum est nonnullos locos extare in quibus ille discedit a libro *l* (cf. v. 103, 125, 134, 218, 222, 403; 170, 210); omnibus contra his locis congruit cum codice Dresdensi. Ergo quod supra de librorum *H l* ratione exposui, nunc etiam accuratius definiri potest. Ita scilicet ratio intellegenda est, ut ab eodem apographo descendisse omnes tres *H K l* videantur, codices *H K* autem ab exemplari quod ipsum ex apographo illo desumptum sit, ortos esse probabile sit. De communi fonte librorum *H K l* quid sentiam, supra ostendi. Nunc pauca proferam de exemplari illo, ad quod *H* et *K* redeunt. Commune illud codicum *H* et *K* exemplar manifesta recensionis novae vestigia prae se ferre iam neminem effugerit. Caveas autem, ne id quod supra dixi de praestantia lectionis quae sit in libris *H K l* ubicumque scripturam quandam a ceteris libris diversam exhibeant, ne hoc temere transferas simul ad ea, quae aperte debentur librario illius exemplaris, ex quo codices *H K* descripti sunt. In universum enim statuendum est scripturas librorum *H K* proprias nil repraesentare nisi hominis cuiusdam docti studia, quibus ille locis semper fere aperte corruptis crassa interdum Minerva opem afferre nitebatur. Inspicias quaeso versum 103: ineptum sane est quod traditum est *irrisaque tales* (recte ut videtur Heinsius *irrisaque vota* cf. infra), ineptum autem et ipsum quod coniecit ille homo doctus *derisa malignos*, quae verba *interpolatricem manum sapere* iam monuerunt Heinsius et Hauptius (v. illorum notas ad h. l.). In idem cadit quod

legimus in vv. 73, 74 *nimium reserare sepulcra parcite* pro *nimium reserata s. claudite* et in v. 134 *sinus* pro *suus*. Aperte deinde interpolatum est quod *H K* exhibent in v. 170 *inter quaeque ruens* pro *inter quaeque ruit*, quod Rutgersius bene restituit scribens *inter quae periit*. Certam ad iudicandum ansam praebet etiam v. 222, ubi *sustulit e medio B C A D E m*, *sustulit et medio l*, *et tulit e medio H K*. Hanc scripturae varietatem prorsus intelleges cum proficisceris a lectione *sustulit e medio*. Librarius enim scil. ille qui exemplar codicum *H K* exaravit, cum videret particulam copulandi desiderari, temere mutavit totum locum et scripsit *et tulit e medio;* rectum assecutus videtur esse ille vir doctus cuius studia deprehendimus in libro *l (sustulit et m.)*. Certe concedendum est si *et tulit e* esset genuina lectio, nullo modo intellegi, unde ineptum illud *sustulit e* oriri potuerit.

In locis singulis diiudicandis subsisto. His tamen quae modo exposui de codicibus *H K* minime tollitur id quod supra de praestantia lectionis librorum *H K l (C_2)* dixi; ostendi scilicet ubicumque libri *H K l (C_2)* uno quasi ore inter se concordantes exhibent scripturam a reliquis libris diversam, hanc ipsam scripturam ut genuinam esse praeferendam; nunc (de libro *l* cf. pg. 25) ostendisse mihi videor ubicumque unusquisque ex illis propriam lectionem exhibet, hac utendum esse cum cautione quadam. Vel ut aliis verbis usus idem dicam: certe maximum ad lectionem consolationis restituendam momentum faciunt libri ordinis quem diximus alterum, sed cum unusquisque ex his imbutus sit vitiis, ne aliorum quidem librorum ope et auxilio carere possumus. Et haec quidem hactenus.

Duobus codicibus — Laurentiano et Combiano — tractatis totidem restant quibus Heinsius usus est, scil. Neapolitanus et Romanus, quorum ille nominatim affertur nusquam, hic uno tantum loco. De his igitur quid iudi-

candum sit, etiam difficilior est quaestio. Sed ad eam solvendam imprimis quaeso conferas quod Heinsius adnotavit ad v. 234:

'*non tibi; non ullis] Nullis* veteres libri'

et ad v. 367:

'*sed mortalis erat] Erit* veteres plerique'.

Ex libris qui mihi praesto sunt, in versu priore solus Bodleianus exhibet *nullis*, in altero idem Bodleianus et editio m *erit*. En, consensus sub oculos cadens! Consensum dico Bodleiani codicis cum uno ex illis *veteribus* Heinsianis, aut Neapolitano igitur aut Romano. Nam neque Mediceum (— Laurentianum) neque Combianum (Dresdensem) — in quibus *ullis, erat* — Heinsium significare non est quod moneam. Proficiscamur nunc ab illo loco, ubi codicis Romani nomen ipsum legimus, id est a versu 455, ubi dictum est hunc librum habere *affluit*. Ceteri omnes libri Heinsiani — Neapolitanus quoque — exhibent *affuit*, quod idem omnes libri nostri, etiam Bodleianus. Vides iam ni fallor quo tendat haec argumentatio. Proclivis enim est coniectura, quandoquidem ut supra vidimus certa ratio intercedit inter Bodleianum codicem et unum ex illis duobus Heinsianis, Neapolitanum esse eum librum quocum Bodleianus noster coniunctus sit. Sed nimis caute adhuc locuti sumus. Neque enim dubito autumare Bodleianum esse eundem atque illum Neapolitanum. Hunc enim librum sibi donasse Lucam Langermannum (Hamburgensem) Heinsius ipse certiores nos facit (cf. pg. 26). Atque si catalogum[1]) bibliothecae Heinsianae evolveris, in alterius voluminis pagina 68 invenies sub numero 95 *manuscriptum in pergameno*, in quo haec Ovidiana hoc ordine disposita:

1) cui inscriptio accurata est haec: *catalogus Librorum quos magno studio et sumptu dum viveret collegit Vir illustris Nicolaus Heinsius, Dan. Fil. Cuius Bibliothecae publicam faciet auctionem Lugduni Batavorum. Iohannes de Vivie, bibliopola. Lugd. Batav. 1682.*

1) Heroides
2) Consolatio ad Liviam
3) In Ibin
4) de Pulice
5) de Philomela
6) de Nuce
7) de Arte amandi
8) Amores
9) de remedio amoris
10) Fastorum libri
11) de Tristibus
12) de Ponto.

Accurate velim animum advertas quo ordine extent in hoc codice carmina. Eadem enim dispositio occurrit nobis in codice Bodleiano (cf. pg. 9); qua re ipsa confirmatur id quod subtiliore via ex Heinsii notis conicere licuit. Et profecto quotquot codices Ovidianos in catalogis bibliothecarum inspexi, in nullo inveni hanc dispositionem, in omnibus potius illa carmina quae pseudoovidiana dicere nos solemus — ut consolatio ad Liviam de Philomela de Pulice Nux aliaque — sub finem librorum quasi affixa sunt. Sed quid multa? Satis opinor apparet codicem Bodleianum nullum alium esse atque illum Neapolitanum Heinsii qui tum cum libri magni viri mortui in omnes partes dissipati sunt, nescio qua via Oxoniam pervenit.

Haec si recte disputata sunt, iam de quarto codice Heinsii, Romano, paulo quidem certius loqui possumus. Hunc enim videtur significare Heinsius — praeter illum locum supra commemoratum ad v. 455 — his locis:

v. 221 Heinsius:

'*adhorruit undis]* Tres libri *adhorruit* unus *inhorruit*'.

Legimus *adhorruit*

1) in Laurentiano (— Mediceo)
2) in Dresdensi (Combiano)
3) in Bodleiano (— Neapolitano).

Ergo scriptum fuit *inhorruit* in Romano Heinsii.

Ad v. 288 deinde legitur haec nota:

'*Prae templi] Pro templi* unus ex nostris'.

Codices Laurentianus (— Mediceus), Dresdensis (Combianus), Bodleianus (— Neapolitanus) exhibent *prae t.*; ergo manifestum est Heinsium illud *pro* invenisse in codice Romano. Fuit igitur — ne iusto longius in his rebus verser — ut videmus codex ille Romanus exemplar quod nonnumquam a reliquis omnibus libris discessit.

Haec habebam quae de codicibus Heinsianis dicerem. Codicibus omnibus iam pertractatis priusquam ad finem huius disputatiunculae properemus, quaestionem illam magnam moveamus quae est de historia lectionis consolationis Liviae, quam quidem disceptantes nos in lubrico versari atque nisi coniecturas nihil proponere posse nulli homini quam mihi clarius. Videamus autem primum quae de aetate codicis archetypi, ad quem omnes libros redire ostendimus, enucleari possint. In versu 93 omnes libri praeter codicem *B* exhibent *nutantia;* quae corruptela explicari tantum potest ex similitudine litterarum a et u; notum autem est Carolingorum temporibus litteram a aperte ut dicitur scriptam esse, ut facile cum u littera confundi posset. Verba deinde in archetypo segregata nondum fuisse nonnulli loci illustrare videntur qui etiamsi plane certa scripturae continuae documenta non insunt, brevi conspectu collecti proponantur:

v. 47	nocuisse] non iusse *B*
v. 83	totidem] tot idem *B m*
v. 177	consul init (consulunt *m*)] consuluit *B A C D E*
v. 308	mota in] motam *B A C D E m*
v. 366	qua natus] quantus *H*
v. 388	perbreve] per breve *libri*
v. 396	accipere es] acciperes *B A C D E m*
v. 411	superes] super es *B A C D E m l*
v. 445	nebulosi in littore] nebulosum littus *B A C D E m*
v. 457	consul et] consulet *B A C D E m.*

Vides plurimis locis menda aperta in parte librorum iam correcta esse et interdum paucos tantum libros vestigium scriptionis quae vocatur continuae servasse. Cum vero ceterae quoque corruptelae omnium librorum communes vetustatem satis priscam illius archetypi ostendant, hoc nisi omnia fallunt conicere licet exaratum id esse non multo post saeculum octavum vel nonum. Et his temporibus — dico Caroli Magni — scriptores antiquos et praecipue poetas Latinos diuturna obrutos oblivione resuscitatos et lectitatos esse quis nescit? In quorum numero fortasse erat consolatio ad Liviam; sin autem erat, minime ita ut in lucem protracta esset tum iam in omne tempus. Sequentibus enim saeculis denuo eam crassis occultatam et circumfusam tenebris videmus; quod quidem non est tam insolens quam primo obtutu videatur. Nimirum idem cadit quo exemplo utar in Taciti vitam Agricolae et Germaniam, de quibus operibus fusius egit Cornelius in libello cui inscribitur *quomodo Tacitus, historiarum scriptor, in hominum memoria versatus sit usque ad renascentes litteras saeculis XIV et XV.* Sed ne illis quidem temporibus, quae intercedunt inter aevum Carolinum et litterarum renascentium aetatem, ne hoc quidem tam longo, dico, spatio consolationem prorsus in oblivione iacuisse aut eius memoriam omnino evanuisse intellegimus e verbis tam paucis quam gravibus, quae leguntur in codice Hamerslevensi saeculi XII; quem codicem invenimus in Beckeri bibliothecarum catalogis antiquis p. 141 n. 56, ubi legimus: *Hic est thesaurus S. Pancratii martyris in Hamersleve scolasticalium librorum quos ego H. da Brunesono vidi* et tum sub num. 70

Ovidium de Licia.

Quis ille da Brunesono fuerit indagare quod mihi non contigit doleo. Sed illud *Ovidium de Licia* quid significat? Mehercle aut omnia me fallunt aut referendum id est ad consolationem Liviae mutata scilicet una littera c in v, quae litterae et saepe inter se confunduntur (v. Hagenum grad. ad crit. p. 15, 69) et ab illo Brunesono

eo facilius confundi poterant, quia ut ipse dicit illos libros tantum viderat, non perlegerat. Quod vero ad inscriptionem *de Livia* attinet, hac ratione saepissime carmina Ovidiana inscripta esse — ex. gr. de Tristibus de Ponto aliaque — videbit quicumque inspiciet catalogos quoslibet antiquos. Dubitanti tamen, an re vera epicedion Drusi significatum sit, quaestionem proponam, ad quod tandem carmen Ovidianum illa verba referri possint. Commenticia autem ea esse atque ficta ego quidem non video cur opinemur. Sed haec hactenus. Procedamus saltu quasi ad illa tempora quibus tam multi veteres scriptores e claustrorum recessu ac solitudine in hominum frequentiam reductos esse notum est, dico ad saeculum XV (vide tota de hac re Sabbadini *le scoperte dei codici Latini e Graeci ne' secoli 14 e 15.* Firenze, et Voigt „Wiederbelebung des klass. Altertums" vol. I p. 232—56). Atque illa aetate, circiter mediam igitur partem saec. XV hoc quoque carmen repertum esse pro certo dici potest. Quod sane dicit Baehrensius (P. L. M. I p. 102) veri simile esse una id cum duabus in Maecenatem elegiis extitisse in illo libro quem Henoch Asculanus ex Dania (v. Tycho Mommsenum in mus. Rhenan. vol. VI (1848) p. 622) apporttaverit, hoc incertissima coniectura opinatus est. Nullus enim quod sciam codex extat, qui omnia illa tria carmina contineat, unde fortasse colligi possit olim ea in eodem libro coniuncta fuisse. Sed haec de historia lectionis protulisse satis sit, ne in tenebris ultra quam oportet erremus.

Quod ad deflorationes quae dicuntur attinet, quae e multis carminibus Latinis tam larga manu confectae sunt, ex epicedio Drusi facta una tantum[1]) mihi innotuit, in codice Riccardiano 152 conscripta a Bartolomeo Fonzio, qui sub finem saeculi XV Florentiae eloquentiam et artem rhetoricam docuit et commentarium in Persium conscripsit[2]). Exscripsit autem ille Fonzius cum in-

1) Cf. R. Sabbadini in: Rivista di filologia vol. XXVIII p. 293.

2) Egit nuperrime de hoc viro pro suis temporibus doctissimo Corcetto Marchesi in libro cui inscribitur *Bartolomeo della Fonte* Roma 1906.

scriptione *ex consolatione Ovidii ad Liviam de morte Drusi* hos versus: 9—10; 347; 357—362; 369—74; 427—428; 443—444. Ad verba quidem poetae corrigenda haec ecloga non multum auxilii affert. Prorsus congruit cum nostris libris exceptis duabus scripturis. In versu 9 enim praebet Fonzius:


hei mihi quam facile est quantumque hoc contigit omnes

et in versu 347:

non eadem vulgusque decent et limina regum.

Sed si quid video apertum est has varias scripturas esse interpolatas; suo tamen loco ad eas redibit disputatio. Ceterum ex hac defloratione facile cognoscas quos praesertim versus consolationis medii aevi elegerint viri docti et adamaverint; et ne id quidem silentio praeterire volo in editione Vicentina a. 1480 ad eosdem versus ascriptam me invenisse coaeva fere manu hanc notam *nō*.

Iam ut summam huius disputationis faciamus, e re erit uno obtutu proponere, quali vinculo singuli libri inter se cohaereant et coniuncti sint, quod hoc stemmate effici volui:



2) De locis aliquot emendandis et interpretandis.

Fundamento quod dicitur critico posito firmo iam de versibus qui ut recte intellegantur vel emendentur verbis opus esse videtur, data opera disputabo, quo deinde brevius ipsum carmen adnotare liceat [1]).

v. **6**: scribi iussit pro *dicis* Francius *quaeris*, Baehrensius *reddis;* sed nil aptius quam quod traditum est *dicis*, sic scil: *dixit aliquis filius tuus* (i. e. posuit nomen filii, ipsum *filius*), tu dicis *uter?*, quod qui dicit quaerit.

v. **9, 10**: Exhibent libri prioris familiae *quamvis*, codex *H cuicunque*, editio *l quoivis*. Sed legendum est sine dubio: *quamvis hic contigit omnes*. Coniunctione sane *quamvis* indicatur correctio quaedam, ad quam vim cf. Ov. met. VIII, 56 *nam pereant potius sperata cubilia, quam sim | proditione potens! — quamvis saepe utile vinci | victoris placidi fecit clementia multis;* id. XIII, 463 *mater obest minuitque necis mihi gaudia, quamvis | non mea mors illi, verum sua vita tremenda est*. Cum igitur dicit poeta *quam facile est alterius in luctu fortia verba* (i. e. verba confidentiae plena et quae iubeant animo forti et firmo esse dolentem, cf. Tib. II, 6, 12; Prop. I, 5, 14; Ov. met. IV, 652; Quint. declam. XIII, 6) *loqui*, dictum simul corrigit et ait *quamquam non vere possumus appellare hunc luctum alterius, nam hic contigit omnes, nemoque est in tota Romana re publica ad quem hic luctus non pertineat, quem non tangat dolor de morte Drusi, ut non unius Liviae dici potius quam totius populi Romani debeat*. Paulo post vocat luctum *publicum* (v. 66). *Hoc* librorum Micyllus mutavit in *hic* — respiciens scil. ad luctum — quod propter totam sententiae conformationem necessarium videtur.

v. **34**: collaque osque oculos *B C A D E m*
os oculosque *H*
os oculos *l*.

1) Iam vero neminem effugiet quantum in lectione consolationis restituenda debeam Friderico Leo; qui benigne mecum communicavit quodcumque ipse assequi non potui.

Vulnere aliquo inveterato hunc versum afflictum esse apparet. Varie viri docti eum emendare conati sunt. Heinsius adnotat *libri scripti cum priscis editionibus partim 'osque oculosque', partim 'os oculos', ut fortassis legendum sit 'hos oculos', vel 'hoc oculos ore premam' hoc. meo ore premam illius oculos, vel quod malo 'hos oculos illius ore premar', ut sit Graecismus*. Sic Heinsius quem rectam viam ingressum non esse monuit iam Burmannus; sed ipse nil melius protulit. Vereor autem ne vulnus altius haereat. Recte dicit Baehrensius *matrem collum filii osculantem ineptam esse*. Ab hoc igitur vocabulo proficiscens Riesius coniecit *oscula dans*, haud infacete; veri simile enim est librarium codicis archetypi nescio quo casu illam unam syllabam *os* initio versus oblitum postea vel suprascripsisse vel ascripsisse. Quid tunc erat facilius quam ex illo inepto *cula* verbum Latinum *colla* facere? Syllaba *os* autem inserebatur ubi aptissima videbatur. Sed illud verbum *dans* quod scripsit Riesius et post eum Baehrensius, nimis ab errore librariorum distat. Scribo secutus Leonem: *osculaque atque oculos*. Corruptela igitur sic nata, ut *os* omissum falso loco pro *at* poneretur, deinde mutato *culaque* in *collaque* versui succurreretur. Significat *oscula* scil. hoc loco τὸ στομάτιον, ut Ov. met. I, 499 *videt igne micantes | sideribus similes oculos, videt oscula, quae non | est vidisse satis;* Stat. silv. II, 1, 172 *dilectosque premis visus et frigida lambis | oscula;* id. III, 3, 177 *heu quantis lassantem bracchia vidi | planctibus et prono fusum super oscula vultu*, ubi Vollmerus non recte *super oscula* interpretatur „um Küsse zu geben"; Petron. 126 (p. 94, 6 B.) *nares paululum inflexae et osculum quale Praxiteles habere Dianam credidit*.

v. **37**: recte Heinsius coniecit *vana* pro *magna*, quod omnes libri exhibent; idem mendum extat in codicibus Ovidianis fast. V, 684; cf. etiam Prop. IV, 5, 42 ubi nonnulli codices pro *nanus* praebent *magnus*.

v. **39**: traditum est *veluti*, sed ut in versu 37 sic hoc loco Heinsius demum poetae suum reddidit; nam non

solum nomen *voti* in promptu est, sed etiam confirmatur versu Ovidiano, quem consolator imitatur, fast. V, 459 *en ego dimidium vestri parsque altera voti;* cf. etiam ep. ex P. IV, 13, 47; eleg. Maec. II, 6.

v. **43**: versus hic turpi foedatus est mendo variisque virorum doctorum agitatus et interpretationibus et correctionibus quas omnes enumerare et recensere supersedebimus. Ziehenus solus (annal. Fleckeis. vol. 155 1897, p. 196) in lectione tradita acquiescit ita, ut *pudicitia* intellegat casum nominativum et hunc sensum extorqueat *quid nunc tibi pudicitia inviolata prodest, quae apud te ita tantum virtus est, ut inter virtutes tuas ultimum locum obtineat.* Sed praeterquam quod sic Latine haudquaquam dici potest, reicienda est haec interpretatio vel metrica de causa; neque enim invenitur in consolatione vel in carminibus Ovidianis brevis syllaba pro longa nisi in caesura tertii pedis ante particulas *et* vel *aut* et in arsi ante voces Graecas (cf. quod Hauptius adnotat ad Ov. met. III, 184). Scribendum esse puto, quod Fridericus Leo vult:

quidque pudicitia in tantum collata bonorum,
ultima . . .

Praepositio *in* fuit ut videtur suprascripta ita ut ex *pu-*
in
dicitia tantum collata fieret *pudic. t. inviolata*. *Bona* idem valere atque virtutes notum est (cf. v. 79; Hor. sat. I, 3, 70; Ov. a. am. II, 662; Tac. ann. VI, 32; anthol. Lat. 765, 3).

v. **49**, **50**: Hos versus interpretes saepe perperam ceperunt. Componi *citra* cum *quam* in comparatione duarum rerum, quarum altera non attingatur, altera recedat aut inferior sit, recte docet Handius in Tursellini vol. II p. 85 (cf. Gell. noct. Att. XII, 13). Hoc igitur poeta vult *Liviam non aberrasse ad res civiles et publicas (campoque foroque), sed privatis curis constituisse et firmasse domum; qua in re eam processisse ne ad fines quidem concessos, sed substitisse priusquam hos fines ipsos attigerit.* Nil autem hoc loco mutandum est neque quod Handius vult *quaque licet, citra constituisse domum* neque quod Burmannus (et

post eum Baehrensius) *quamque licet citra continuisse modum.*

v. **53**, **54**: Falso Burmannus aliique ut Wiedingius *de aetate consolationis ad Liviam* diss. Kil. 1888 p. 22, 23 hos versus intellexerunt; praedicative enim ut dicitur nomen *ius* positum est sic *ἡ Τύχη* τὸ ἄδικον δίκαιον ποιεῖ (ut rhetores *τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιοῦντες*). Plane aliud igitur dicit consolator atque Ovidius trist. V, 10, 43 *adde, quod iniustum rigido ius dicitur ense, | dantur et in medio vulnera saepe foro.*

v. **71**, **72**: Ad *ter ante datis* supplendum est *lacrimis* ex *lacrimas*, quod in altero versu sequitur. Ter Augustus lacrimas dederat, Marcello Agrippae Octaviae; nunc Druso quarto lacrimas dat.

v. **75**, **76**: v. pg. 21 sq.

v. **77**, **78**: v. pg. 23.

v. **79**, **80**: Temere Maehlyius id quod poeta dicit, evertit, cum *unus* in *ullus* mutaverit. Pessima quoque est Baehrensii emendatio qui sic scribit *nec, cui tot turba bonorum, | omnis cui virtus contigit, unus erat* et hanc interpretationem satis ineptam adicit *nec enim ei (Augusto), cui tot hominum bonorum copia esset, unus tamen erat cui ut tibi omnes simul virtutes contigissent.* Sed sensus qui hac coniectura *(erat)* artificiose efficitur, ab hoc loco prorsus alienus est; de Augusto enim in his versibus omnino non sermo est. Iam videamus quid poeta velit. Tenendum autem arbitror esse quod traditum est:

multi in te amissi; nec tu, tot turba bonorum
omnis cui virtus contigit, unus eras,

quae verba sic explico *non unum virum te defuncto amisimus nec tu cui tot bona omnisque virtus obvenit, unus eras. Tot enim virtutibus ornatos filios duos peperit Livia, ut eis solis vel multo plures insignes fieri possent* (v. 81, 82). In propatulo igitur erit sita interpretatio, cum intellexeris poetam sermonem sic instituisse, ut pronomen *cui* per figuram *ἀπὸ κοινοῦ* referendum sit non magis ad *omnis virtus* quam ad *tot turba bonorum*, qua in re quidem con-

iunctio quae illa duo nomina coniungit, omissa est, sed minime insolenter.

v. **84**: Verbi *dubitare* modus passivus, quem nos „persönliches Passiv" dicere solemus, invenitur apud Ovidium met. II, 20 *quo simul adclivi Clymeneia limite proles, | venit et intravit dubitati tecta parentis* (v. Hauptium ad h. l.) et ep. ex P. II, 4, 2 *Attice, iudicio non dubitande meo*. Baehrensium, qui sine causa coniecit *labefactus amor*, hi loci Ovidiani effugisse videntur.

v. **86, 87**: In versu priore cum libris *pallida* (cf. Ov. met. IV. 134) scribendum est, non cum Heinsio *squallida*.

Contra Heinsium qui versum 87 coniecturis affecit et sic legere iussit *dissimilemque sui vultu prodente colorem* optimo iure lectionem traditam defendit Bentleius (ad Hor. sat. II, 5, 104). Neque enim *dissimilem sui* referendum est ad *dolorem*, sed ad *Neronem*. *Vidimus*, inquit, *Neronem attonitum fraterna morte dissimilemque sui, vultu profitente dolorem;* sic igitur est distinguendum. Recte quoque Bentleius ad h. l. affert Ovidii met. XI, 273 *illo qui tempore maestus, dissimilisque sui fratrem lugebat ademptum.* Deinde *profitente* legendum est, non quod Heinsius voluit *prodente*. Nam *Nero non invitus prodebat dolorem, sed volens profitebatur.*

v. **98**: Legendum sane est *caesas*. Quid poeta voluerit hoc versu, est apertum — scil. Liviam abscisos crines super membra Drusi defuncti spargere non potuisse, id quod in luctu factum esse et alii docent et Petronius 111 (p. 78, 9 B.) *at illa ignota consolatione percussa laceravit vehementius pectus ruptosque crines super pectus iacentis imposuit.* Pro *traxit* librorum scripsi cum Leone *sparsit* (cf. Ov. a. am. III 76 *spargentur subito per caput omne comae*, id. met. I 542 *et crinem sparsum cervicibus adflat*, id. met. III, 169 *sparsos per colla capillos*; Prop. II, 8, 34 *sparsas caede iacere comas*, id. III, 5, 24 *sparserit et nigras alba senecta comas*; Stat. silv. III, 3, 133 *nec modus aut pennis laceris aut crinibus ignem | spargere*).

v. **103**: versus hic si ullus in consolatione vexatus variisque virorum doctornm agitatus coniecturis (cf. pg. 52 adn.); plerique autem in eo emendando operam et oleum quod dicunt perdiderunt. Certe probanda est Heinsii coniectura scribentis *te queritur casusque malos irrisaque vota*, quae ut sensui optime respondet ita a lectione tradita *(irrisaque tales)* non multum differt, siquidem probabile est duas postremas litteras verbi *irrisaque* priorem syllabam absorbuisse vocabuli sequentis *vota* atque ex *ta*, ne versus claudicaret, *tales* factum esse. Ceterum in eandem fere coniecturam in quam Heinsius incidit Bentleius quoque qui scripsit *atque irrita vota*, sed sine causa mutavit illud *irrisa*, ut docet Ovidii met. I, 221, ubi de Lycaone *inridet vota*.

v. **104**: Inter hunc versum et Ovidii trist. V, 5, 24 quae ratio intercedat, infra quaeretur, ubi sermo erit de aetate huius carminis.

De exemplis usitatis in consolationibus cf. quod dixit Gerckius *de consolationibus* (in: Tirocinium philologicum sodalium regii seminarii Bonnensis, pg. 57).

v. **111**: Rutgersius scripsit pro *alte*, quod traditum est, *alto*. Sed nullam causam mutandi atque in forma *alte* acquiescendum esse docent exempla in Thes. ling. lat. vol. I pg. 678 conlata, unde nonnulla ad hunc vocis *alte* usum illustrandum appono: Lucr. VI, 1178 *multi praecipites lymphis putealibus alte | inciderunt*; Varronis Men. 272, v. 3 *alte ... in terram cecidimus*; Sen. Herc. O. 406 *alte illa cecidit quae viro caret Hercule*; id. dial. V, 23, 6; Verg. ecl. VI, 38; culicis carm. 280; Sil. VII, 98. Cf. etiam quod Lachmannus adnotavit ad Lucr. V, 610.

v. **113, 114**: *Intus* est emendatio Heinsii; libri omnes exhibent *ictus*. Statim autem in oculos incurrit *ictus* mendosum esse cum sensu careat et librarii oculi quod in vicino versu 112 eodem loco extet illa vox, hoc in versu scribendo memoriae eius etiam inhaerens, facile in errorem adduci potuerint. Sed iam dixi lenissima illa coniectura

intus restituisse hunc versum Heinsium. Nil scil. aliud vult poeta cum dicit *lacrimas intus agit* quam Liviam lacrimas repellere, reprimere (cf. Thes. ling. lat. vol. I p. 1372 s. v. ago). Confirmatur vero haec scriptura verbis quae leguntur apud Senecam contr. III, 5 *premo interim gemitus meos, introrsus erumpentes lacrimas ago.* Similiter Statius Theb. V, 654 *lacrimasque insana resorbet*; Sil. XII, 594 *fletumque resorbent.*

Multo autem minus probare possum Heinsium scribentem *oculus* — quod quidem et reliqui omnes editores receperunt et Hauptius ipse — pro *oculis*; sensus scil. hic *Livia in coercendis lacrimis ipsa* fortior est quam oculi sui, i. e. oculi sine mora et expedite emitterent lacrimas, nisi Livia ipsa fortius se gereret easque compesceret.

v. **115, 116**: Pro lectione inepte tradita *gemitum* scripsit Naugerius recte *gremium*. Neque vero necessarium pro *gravant* cum Burmanno reponi *lavant*. Graphice si quid sentio hoc ipso verbo multitudo lacrimarum (cf. *gravidis* v. 116) significatur. *Iterum* et ad *verbum erumpunt* et ad *gravant* ἀπὸ κοινοῦ positum est. De voce *genae* v. quae Rothsteinius adnotat ad Prop. III, 12, 26.

v. **117, 118**: Sensus: *Quo diutius opprimuntur lacrimae, eo copiosiores mox erumpunt quasi per moram collectis viribus.* Cuius usus verbi abeundi exempla collata sunt in Thes. ling. lat. vol. I, p. 70.

Quae deinde sequuntur *plenior* etc. minime est iteratio eiusdem sententiae, potius simile est, quo sententia antecedens illustretur. Sed quod libri exhibent *exigua* ineptum est; recte Fridericus Leo coniecisse videtur *ex silva* (cf. Lucr. V, 41).

v. **119, 120**: Naugerius scripsit pro *sed*, quod libri exhibent, *sic*, quod editores arripuerunt. Tamen fortasse in *sed* acquiescere licet. Hic est sensus *tandem Livia, cum illa vis magna lacrimarum* (cf. v. 117) *sivit, loqui coepit, sed etiam nunc cum lacrimis et fletu* (i. e. *flebilis*, cf. Hor. od. IV, 2, 21; a. poet. 123), *ita nimirum ut frequentibus singultibus sermo eius interrumperetur.*

v. **122, 124**: Libri quidem in v. 122 et 124 *confectae* tuentur, sed cum *l* legendum est *conspectae*. Proficiscendum est ni fallor a versibus 123 et 124. Corrigit se ipsum poeta in versu 123 quasi dicat *immo neque duplicis partus neque partus altera pars es* (post v. 123 subsistit *neque iam ... partus (es)*). Sed quod dictum est antea *gloria conspectae parentis*, hoc eadem ratione corrigatur opus non est. *Ubi es, Druse,* pergit Livia, *gloria mea, quae per te etiamnunc, quamquam tu ipse abisti, oculos hominum in me convertam.* Ne vero *nunc quoque* coniungamus cum *gloria*, vetare vel collocatio verborum videtur. Atque inepte hic *confectae* diceretur *nunc quoque*. Accedit aliud quod quidem ad rem diiudicandam sat est: quam languesceret, ne dicam quam absurdum esset, si Livia bis Drusum appellaret *gloriam luctu confectae matris* atque id loco haud dubie elatissimo!

v. **133, 134**: *Hic pietatis honos*, i. e. praemium pietatis Liviae erga Drusum, Drusi erga Liviam. Est scil. *honos* praemium virtutis aut rei bene factae (cf. Ov. met. II, 387 *sine honore laborum*; rem. am. 393). Idem versus initium legimus apud Vergilium Aen. I, 257 *hic pietatis honos? sic nos in sceptra reponis?*

Sequentem versum pessima coniectura foedavit Baehrensius scribens *et vorat ... rogusque ferus.* Traditum est *evocat hos ipsos fl. r. suus.* Pro *suus* praebent codex H et C *sinus*, quod quidem editores nimis cupide arripuerunt. Sed sensus aptus ex hac lectione aperte interpolata erui non potest, sive cum Gorallo *sinus* pro *viscera* sive cum Ruhnkenio pro *vestes* sumitur; quod utrumque num Latinum omnino sit, valde dubito. Nec opus est poni quod Heinsius proposuit *et vorat.* Potius retinendam puto esse lectionem librorum, dummodo pro *suus* scribas lenissima coniectura *suos.* Vide autem quam apte hunc statuam sensum: *amplector*, inquit Livia, *artus Drusi inanes et ne sic quidem mei sunt; nam statim amplexibus meis eripiuntur, quia rogus cui debentur, iam evocat eos tamquam suos ac proprios,* velut dux evocat militem sacramento suum.

v. **142**: Nescio qua de causa Lipsius scripserit *inversos*. Lectio *eversos* confirmatur loco Ovidiano, am. III, 9, 7. Ad rem cf. quod Vollmerus adnotavit ad Stat. silv. II, 1, 26.

v. **143**: Omnes quantum video editores inde ab Heinsio scripserunt illum virum doctissimum secuti *durissima* pro *carissima*, quod omnes libri exhibent. Haud scio an tenendum sit illud *carissima*, sic: *venit carissimus matri hic dies quo filium vidit consulem victoremque. Felixne iam non sum?* Post haec verba ultima ambigue dubieque dicta deinde illa, ex quibus ipsis magnus Liviae dolor plane apparet *iam pars mihi rapta Neronum* et qu. s.

v. **161**: nihil mutandum in hoc versu, dummodo recte distinguas. Livia locuta versibus qui antecedunt optata quae iam non eveniunt, pergit *quod etiamnunc — post mortem Drusi — facere licet, hoc quidem fiet, scil. ego cum illo in uno tumulo ponar.* Ergo scribendum *quod licet, hoc certe: tumulo ponemur in uno.*

v. **165**: *lacrimae sua verba sequuntur.* Sine causa offendit Hauptius in pronomine *sua* dicens exspectari *eius*. Referendum scil. *sua* non ad Liviam est, sed ad *lacrimae*; *sua verba* igitur sunt verba lacrimis propria, i. e. tristia, luctuosa. Idem hemistichium legitur apud Ovidium her. XIV, 67 *haec ego: dumque queror, lacrimae sua verba sequuntur.* cf. etiam met. X, 506; fast. II, 542.

v. **172**: Adnotat Baehrensius se non dispicere quid sibi velit *quod licuitque*. Nil tamen simplicius cogitari potest. *Drusum*, inquit poeta, *patriae Tiberius reddidit, et quidem quantum eius etiam tum reddere licuit, i. e. non totum Drusum (viventem), sed corpus tantum illius inane.* Prave quidem Gorallus explicavit dicens *quod* hoc loco esse *quoad*.

v. **183**: Dubito an verbum — quod quidem libri exhibent — *strepitant* recte legatur. Melius ni fallor procedit sensus si legimus *trepidant*, ut sententiarum conexus sit hic *quoniam nondum prorsus certi sunt quidnam agatur* (i. e. *incerti*), *domos claudunt et passim per urbem cursitant, ut quid acciderit percontentur.* Neque vero se ipsos tabernis claudere, docet adiectivum *incerti*, quod quomodo tum intellegendum sit, non video. Et huic explicationi repugnat ne versus 186 quidem, ubi tantum dicitur magistratum nullum *(purpura)* in foro aspici.

v. **185**: Coniectura Heinsii scribentis *iacent* pro *tacent* opus non est. Similiter Ov. met. X, 389 *muta silet virgo.* Quatenus vero Ov. met. I, 58 *victa iacet pietas* — quem locum affert vir doctus ad coniecturam illam probandam — cum hoc loco conferri possit, nescio.

v. **187, 188**: Male scripsit Bahrensius *foco*. Quid poeta scribens *rogo* voluerit, apertum est: *dei non postulant tura sua quae ad Drusi rogum comportentur.* Fortasse Baehrensio vocabulum *rogo* hoc loco non tam *ineptum* visum esset, si inspexisset Mart. XI, 55: *unguenta et casias et olentum funera myrrham, | thuraque de medio semicremata rogo, | et quae de Stygio rapuisti Cinname lecto, | improbe de turpi, Zoile, redde sinu.*; Stat. silv. V, 1, 212 *praeceptaque templis tura;* Lucan. VIII, 729 *non pretiosa petit cumulato ture sepulcra | Pompeius* (v. Haskinsium ad h. l.).

dique latent templis contrarium dicit Statius silv. IV, 1, 45 *tunc omnes patuere dei* (cf. quod adnotat Vollmerus ad h. l.).

v. **194**: *in nullos deos* i. e. in deos qui nulli sunt (cf. Ov. met. I, 621 *non vacca videri*, XII, 500 *populus superamur* ab uno | *vixque viro.* Sine ulla causa Baehrensius scripsit *pullos*, Dal Zotto *surdos*.

v. **195**: *Livia, non illos pro Druso Livia movit:* cum emphasi nomen Liviae — quae quidem deos movere debebat — repetitur cumque Drusi componitur. Quam contra languidum sit, quod Baehrensius et Dal Zotto coniecerunt *si pia* . . ., nemo erit quin sentiat.

v. **205**: Falso saepe coniungitur *maesta* cum *imagine*, non ut debet cum nomine *laurus*; sic: *praefertur in imagine Drusi, qui eam pepererat* (i. e. *auctoris sui*) *laurea, quae minime maesta laurea debuit esse, sed ut victrix laurea deponenda erat in deorum templis.* Hunc esse sensum ver-

suum vel indicatur collocatione adiectivi *victrix*, cui oppositum est *maesta*.

v. **220**: Particulam *at* tenendam esse non monuissem, nisi Baehrensius eumque secutus Dal Zotto scripsissent *ac*; hoc poeta voluit: *saepe magna* voce Drusum vocant — vide quod de hoc usu Servius adnotavit ad Aen. III, 68; — *at pro Drusi responso quod a clauso in aeternum ore reddi nequit, maesta echo a collibus vicinis eadem verba refert.*

v. **227**: *fluminis ictu*: etiamsi paulo aliter, tamen de repentino aquae impetu *ictus* — in quo Hauptius aliique haeserunt — dictum est ab Ovidio met. IV, 124 *(fistula) eiaculatur aquas atque ictibus aera rumpit;* neque minus audacter Prop. III, 2, 21 *annorum aut ictu pondere victa ruent.*

v. **229**: Recte coniecit Heinsius pro *equorum* — quod libri exhibent (equor *B H*) *ad aequor;* vitium sic ortum est, ut ab ultima syllaba verbi *inhibebat* absorptum sit *ad*, et cum restaret *aequor* inde factum sit *equorum*.

v. **233**: Suo iure haesit iam Baehrensius in voce *amnes*; sed quod scripsit *animi*, minime arridet neque melius est quod proposuit in apparatu critico *amens*; Leo scripsit *quamquam nos*, ex quo facile fieri potuit *amnes*, quia syllaba *-am* antecedit.

v. **236**: Libri inepte *funera causa latet.* Quod Cuperus coniecit *funere causa patet* plane improbabile est. Melius est quod Ehwaldius proponit *funera causa levet*; sed de luctu levando a versu 329 demum sermo est, a quo consolatio propria incipit. Rectum assecutus videtur esse Leo coniciens *et dux pro patria (funera cassa) iacet*, quae verba apte coeunt et cum versu priore et cum toto sententiarum conexu.

v. **240**: de varia lectione huius versus v. p. 22.

v. **272**: Tenendum esse quod libri habent *postmodo tu poenas, barbare, morte dabis* apparet. Significantur numero singulari — qui positus est collective ut dicitur — Germani ipsi, non terra Germania. *Barbare* Martialis quoque de Germanis XI, 96, 3 *barbare, non debet submoto cive ministro | captivam victrix unda levare sitim.*

v. **275**: de forma casus genetivi in — *um* exeuntis, in qua Hauptius iniuria offendit (l. c. p. 342), v. etiam Nordenum in commentario ad Aen. VI, 200 et L. Havetium ad Phaedrum p. 180.

v. **283, 284**: De his versibus fusius agetur ubi de aetate consolationis sermo erit (cf. p. 74 sq.). Ordinem versuum qui extat in libris recte defendit contra Baehrensium Ziehenus l. c. p. 199 dicens „ein Friedenswerk des Toten wird nun erwähnt (v. 283 sq.) und damit die durch den Ausblick auf die Zukunft unterbrochene Aufzählung von Drusus Verdiensten fortgesetzt: *adice Ledaeos, concordia sidera, fratres | templaque Romano conspicienda foro.* Die beiden Verse stehen hier durchaus an der richtigen Stelle; ganz folgerichtig faßt v. 285 sq. die Aufzählung zusammen in dem Gedanken „wie viel Verdienst in so kurzem Leben:“ und zwar ist in chiastischer Anordnung zuerst (v. 287—290) von dem Dioskurentempel, dann (v. 291—298) von den Kriegstaten des Drusus die Rede.“

v. **294**: Inepte libri — praeter *AH* — *invenit in tota maeror in urbe locum.* Heinsius proposuit *invenit en tota* quod quantum video omnibus editoribus placuit. Sed supervacaneum est illud *en* non aliter atque *et* quod interpolatum exhibet *A*. Sequor lectionem codicis *H invenit tota maeror in urbe locum*, invēnit locum, ergo obtinet locum.

v. **302**: Restituit hunc versum Heinsius scribens — ut in v. 42 — pro illo *iam* librorum *tam*. Debebat proprie poeta ut Drusum appellaverat *iuvenem fortissimum*, sic Antoniam castissimam, viri amantissimam fuisse dicere vel simile aliquid; sed respiciens iterum ad Drusum ipsum dicit — ratus nil melis de uxore pronuntiari posse — illam cum amaverit hunc virum tam fortem, ab eo aeque redamatam esse (i. e. *mutua cura*: cf. Ov. fast. II, 728 *coniugibus nostris mutua cura sumus*). Cf. etiam Ov. met. IV, 55

Pyramus et Thisbe, iuvenum pulcherrimus alter, | altera quas Oriens habuit praelata puellis.

De Baehrensii coniectura *altera habens formae munera praecipua* quid dicam? Puto praestat silere.

v. **319** et **321**: Hi versus levissimo mendo ut in editionibus leguntur, corrupti variis virorum doctorum correctionibus agitati sunt. In voce *hoc* haesit iam Hauptius autumans latinum id non esse atque exspectari *talis*. Alii alia coniecerunt ut Baehrensius *sic fuit*, Maehliyus *haec fuit*. Sed omnes illae coniecturae displicent. Rectum assecutus est Franciscus Philelfus in epistula ad Gabrielum Paverum Mediolani anno 1473 scripta, ubi legimus *ita enim in consolatione de obitu Drusi Neronis ad matrem Liviam Augustam locutus est*

Hoc erat Andromachae: cum et q. s.

hoc, scil. quod dictum est versibus 317, 318. Apte deinde pergit poeta cur Liviam non deceat (*amplexaque natos* v. 323. 324) quod Andromachae et Euadnae quidem fuit, quarum mariti tam foede perissent.

v. **329**: *pio in arvo* dictum est pro *piorum in arvo*, cuius rei exempla afferre opus non est (cf. Leo ad Culicis versum 394).

v. **339**, **340**: Scripsit Hauptius pro *viri*, quod libri exhibent, *rati*. Iniuria. Subaudiendum enim esse e priore versu *credent* recte iam Skutschius monuit (l. c. p. 940). Sensus: *credent maiores tui ad tantas res gerendas quantas tu gessisti, maiore tempore opus esse*. Coniecturam deinde Burmanni *modum* pro *locum* scribentis non video cur recipiamus. Vocem *locus* usurpari de tempore quoque notum est (cf. Ter. Heaut. 218; Liv. XII, 38, 12: Sall. Iug. 67).

v. **343**: Libri:

femina digna illis quos aurea condidit aetas
principibus natis, principe digna viro.

Optima est haec lectio minimeque sollicitanda. Ad *illis* enim supplendum est animo *natis* e versu insequenti *(natis)* et poeta dicens Liviam esse dignam illis natis quos aurea aetas condidit („zu Grabe trug“) alludit simul ad

Drusum modo conditum. Certe illae duae coniecturae — *quas* pro *quos* et *prodidit* pro *condidit* — veritatis specie carent; neque magis probabile est quod Burmannus voluit *condere* hoc loco esse *celebrare*.

v. **347**: Lego cum Scaligero *culmina rerum*, quod aptius humili vulgo opponitur. Haut ita facete interpolavit Fonzius *limina rerum*.

v. **349**: Quod libri exhibent *imposuit te alto Fortuna locumque tueri* mutari non debet *(Hl* male *alte)*. Ad *alto* scil. animo audiatur *loco* ex *locumque* quod sequitur.

v. **361**, **362**: Scripsit Heinsius

ecce, necem intentam caelo terraeque fretoque
casurumque triplex vaticinantur opus

et ad coniecturam confirmandam attulit Ov. trist. II, 426, ubi legimus

casurumque triplex vaticinatur opus.

Reposui lectionem librorum

ecce, necem intentam caelo terraeque fretoque,
casurum triplex vaticinatur opus,

vaticinatur scil. Mors (v. 360), ut apud Ovidium Lucretius. Certe numerus pluralis *vaticinantur* veritatis specie caret, singularis vero ipse confirmatur illo loco Ovidiano.

Coniecit Bentleius in versu priore *necem intentant*, Baehrensius *intentans* pro *necem intentam*, quae verba rettulisse videntur viri illi docti ad particulam *ecce*, a qua quidem casum accusativum numquam pendere notum est (cf. Handius Turs. vol. II p. 346). Sed pertinet scilicet accusativus ad verbum *vaticinatur*.

v. **375**: Ovidium vocabulorum iambi pedis mensura comprehensorum vocalique littera finitorum hanc ultimam vocalem in elegiacis carminibus cum subiecta vocali non coniunxisse notum est. Huius autem synaloephes exemplum praebet hic versus, in quo et Hauptius et Baehrensius optimo iure haeserunt. Sed non tam propter synaloephen illam quam propter vocabulum *regna* an locus sanus sit — ut libri eum exhibeut — valde dubito. Nam

quid significat *regna irritare?* Nego Latine sic dici posse. Scribendum esse puto, quod Fridericus Leo proposuit *regnat, et immitis* (cf. v. 52).

v. **391**: Repono cum plerisque libris *et modo Germani R. c. o.* Collective ut dicitur positus est casus genetivus ut in versu antecedenti nominativus *Armenius.* Quod duo codices *(AC)* habent *Germanus* interpolatum videtur esse.

v. **403**, **404**: Sine ulla causa hi versus correctionibus variis agitati sunt praeter medium alterum. Procellosa (i. e. *gravi*) nocte fulmine icta sunt templa Iunonis Minervaeque et statua Iulii Caesaris. Pro *sanctaque et immensi* — quod libri *HK* exhibent *sanctaque divini*, aperte interpolatum est — Heinsius scripsit *sancta quoque immeriti*, Fridericus Leo probabilius *sanctaque item magni.*

v. **410**: Praeferam lectionem editionis *l* quae quidem aperta coniectura est *lumen*; ceteri libri *numen.* Sed aptius *lumen* et dicitur de Druso mortuo (cf. Vollmerus ad Stat. silv. IV, 2, 59 et IV, 3, 19, ubi etiam *lumen* et *numen* confunduntur) et confertur cum Luciferi obitu.

Particula *et* explicatur illud *hoc instare* („und zwar").

v. **417**:

tu tamen ausa potes tanto indulgere dolori,

sic libri. Autumat Heinsius *omnia corruptissima* esse; sed omnia aptissima sunt, dummodo *ausa* participium praegnanti significatu intellegas. Pro *tanto* quidem quod libri praebent, scribo cum Burmanno *tantum.*

v. **419**: Vim propriam temporis quod vocamus plusquamperfectum, interpretes editoresque — ut Baehrensius inepte scribens *superas* — non ceperunt. Notum enim est poetas haud raro illud tempus *(fueram)* usurpasse pro tempore nudo praeterito, cuius usus nonnulla exempla appono: Ov. fast. IV, 429 *tot fuerant illic quot habet natura colores;* met. II, 570 *fueramque ego regia virgo | divitibusque procis (ne me contemne) petebar*; met III, 630 *Bacchus enim fuerat* (v. Hauptium ad. h. l.); trist. III, 11, 25 *non sum ego qui fueram,* quae verba apud Propertium quoque leguntur I, 12, 11; cf. etiam Prop. II, 13, 38. Statius vero eodem plane sensu tempora imperfectum et plusquamperfectum in eodem enuntiato sripsit: cf. silv. I, 1, 101; II, 1, 116; III, 5, 8; V, 3, 232 sq. Qualia cumulare non iuvat. Cf. ceterum H. Blasium „Geschichte des Plusquamperfectums im Lateinischen" Gießen 1894, p. 47 sq.; Vahlenum opusc. academ. II p. 95 adn.

v. **452**: Ad locutionem *bella frangere* cf. Cic. prov. 32; Sen. contr. exc. VIII, 5; Sil. XIII, 828.

v. **458**: In hoc versu haesit Hauptius (l. c. p. 334); *miramur* ait *eiulationem*; *nam 'heu' illud poeta dicere poterat, Druso cuius sibi hic personam imposuit, tribuit admodum inepte;* quod negari vix potest; sed haud scio an *heu* debeatur librarii neglegentiae; nonne pro *heu* legendum est *haec?*

v. **461**: Quid nomen *decursus* significet, illustrant Vergilius Aen. XI, 188 *ter circum accensos cincti fulgentibus armis | decurrere rogos* et Statius Theb. VI, 213. v. quod hac de re dixit Fiebigerus in Pauly-Wissowae encyclop. real. vol. IV, p. 2354, s. v. decursus. *Decursus* autem sibi *notos* — quod neque Maehlyius inepte scribens *votos* neque Baehrensius intellexit — ait, quod non solum Romae, sed in ipsa Germania circa tumulum eius honorarium decurrisset exercitus (cf. etiam Sueton. Claud. I, 3 *ceterum exercitus honorarium ei tumulum excitavit, circa quem deinceps stato die quotannis decurreret* et Tacit ann. II, 7 *tumulum tamen nuper Varianis legionibus structum et veterem aram Druso sitam disiecerant. Restituit aram honorique patris princeps ipse cum legionibus decucurrit.*)

In versu qui sequitur nullus apex mutari debet; *cuncta* oppida esse non omnia oppida totius orbis, sed omnia a Druso capta per se apparet.

v. **470**: Cur Baehrensius adnotet *de* esse corruptum, nescio; de verbo *credere* cum praepositione *de* coniuncto v. Thes. ling. lat. vol. III p. 1145, s. v. credo.

Iam vero cum singulos consolationis locos ut potui pertractaverim, restat ut totum carmen subiuncta libro-

4*

rum scriptura oculis legentium subiciam. Paucis praemonitis locos Ovidianos a poeta expressos addidi; qua in re imprimis id egi, ut lectores iam in carmine perlegendo viderent, quam referta quasi sit consolatio et locutionibus et totis versibus Ovidianis, atque eo facilius iudicarent, quae ratio intercedat inter hoc carmen et Ovidium, de qua quaestione ultimo huius disputationis capite agere mihi proposui.

Coniecturas virorum doctorum, quas plurimas collegi, commemoravi eas tantum, quibus aut ad historiam interpretationis aut ad difficultatem enucleandam conlatum esse aliquid mihi videtur. Neque enim magna adnotationum mole ac nube quasi coniecturarum librorum memoriam obscurare atque obruere volebam[1]). Nomina eorum qui de lectione restituenda scripserunt, in apparatu critico suis locis invenies; ut vero disputationes ipsas inspicere possis, indicem librorum hic proponam; sunt hi:

Micyllus *'Ovidii opera cum notis' (tom. II, p. 471 sq.) 1550.*

Naugerius *opera (p. 166 sq.) Patavii 1618.*

Rutgersius *'variarum lectionum libri sex' Lugduni Batav. 1618 (p. 603 sq.)*

---

1) Quam se torserint nonnumquam viri docti, documento sit versus 103, ubi

malos atque exitiales Gorallus
malos irrisa (nefandum!) Astius
malos irrisaque tabet Cuperus
malos irrisaque clamat Roverus
malos irrisa creatrix Ellisius
malos irrisaque tela Palmerus
malos irataque fatis Vonckius
malos inversaque fata Bersmannus
malos atque irrita tura Hauptius
malos iuvisaque vita est Baehrensius
malos invisaque fata Dal Zotto.

Quid iuvat omnes has coniecturas adnotare, quas omnes fere ad nihilum recidere apparet?

Clericus *'C. Pedonis Albinovani elegiae III' Amstelodami 1703.*

Crusius *'probabilia critica' Lipsiae 1753, p. 51 sq.*

Vonckius *'lect. Lat. libri duo' 1755, p. 155 sq.*

Nic. Heinsius *'commentarius in P. Ovidii Nasonis opera omnia' tom. I, p. 393 sq. (cur. Frid. Fischerus) Lipsiae 1758.*

Astius *'observationes in Propertii carmina et in elegiam ad Liviam Augustam' Gothae 1799.*

Dav. Ruhnkenius *'dictata ad Ovidii Heroidas et Albinovani Elegiam' (nunc primum edidit Friedemann) Lipsiae 1831, p. 119 sq.*

Hauptius *'epicedion Drusi' programma Lips. 1849 (= opusc. I, p. 315 sq.).*

Maehlyius *'observationes de Drusi epicedio deque Taciteo dialogo criticae' in programmate Basiliensi 1873.*

Palmerus *'coniectures on the consol. ad Liv.' in: the Classical Review VI (1892) p. 430 sq.*

Ellisius *'coniectanea in poetas Latinos' in Philologi vol. 52 (1893) p. 484 sq.*

Ziehenus *'Textkritisches zur consolatio ad Liviam' in ann. Fleckeis. vol. 155 (1897) p. 196 sq.*

Dal Zotto *'la consolazione a Livia' (congetture e correzioni) Feltre 1905.*

3) Lectio consolationis ad Liviam.

Notarum index.

B = codex Urbinas } χ } ω
C = codex Britannicus } χ } ω
A = codex Laurentianus } ψ } ω
D = codex Ottobonianus } ψ } ω
E = codex Bodleianus } ψ } ω
F = codex Reginae } ψ } ω
m = editio Veneta a. 1472 } ψ } ω

G = codex Romanus (Heinsii)

H = codex Dresdensis } φ
K = codex Combianus (Heinsii) } φ
l = editio princeps Ovidii a. 1471 } φ

ς = {
editio Mediolanensis a. 1476
editio Parmensis a. 1477
editio Vicentina a. 1480
editiones Aldinae a. 1502, 1515

defl. = defloratio a Bartolomeo Fonzio conscripta in codice Ricardiano 152.

Littera O consensus omnium librorum indicabitur; ceterae abbreviationes — ut A_2 B_2 etc. manus secundae, ≡ unius litterae rasura — expeditu sunt faciles.

Visa diu felix, mater modo dicta Neronum,
  iam tibi dimidium nominis huius abest;
iam legis in Drusum miserabile, Livia, carmen,
  unum qui dicat iam tibi 'mater' habes;
nec tua te pietas distendit amore duorum,
  nec posito fili nomine dicis 'uter?'
et quisquam leges audet tibi dicere flendi?
  et quisquam lacrimas temperat ore tuas?
ei mihi, quam facile est — quamvis hic contigit omnes —
  alterius luctu fortia verba loqui!
scilicet exiguo percussa es fulminis ictu,
  fortior ut possis cladibus esse tuis.
occidit exemplum iuvenis venerabile morum:
  maximus ille armis, maximus ille toga.
ille modo eripuit latebrosas hostibus Alpes
  et titulum belli dux duce fratre tulit;
ille genus, Suevos, acre indomitosque Sicambros
  contudit inque fugam barbara terga dedit
ignotumque tibi meruit, Romane, triumphum,
  protulit in terras imperiumque novas.

---

v. 9. defl. *hei mihi quam facile est quantumque hoc c. omnes.*

Varietas lectionis: Publii (P. *A E*) Ovidii (O. *E*) Nasonis (poetae *add. E l m*, poetae praestantiss. *B*) consolatio ad Liviam Augustam de morte Drusi Neronis filii eius (eius *om. B*) qui in Germania morbo periit *ω (C subscriptio) l* P. Ovidi Nasonis ad Liviam de morte Drusi *H.*

1 isa *om. litt. init. l* DIVẸ *B* **2** huⁱus (i *add.* m_2) ḥabest *B* **3** mirabile *ψ* cramen *m* **5** te *O:* se *Heinsius* sustentat *Dal Zotto* **6** nomine: e *ex* is D_1 **7** et **8** ecquisquam *A* **9** quamvis *ω* cuicumque *H* quoivis *l* hoc *O:* hic *Micyllus* **11** es *ω*: est *H (ante ras.) l* **13** memorabile *A* mirabile *C*

Loci Ovidiani: 3: met. V, 118 *casuque fuit miserabile carmen,* met. VI, 582 *fortunaeque suae carmen miserabile legit* || 7 et 8: am. III, 3, 33 *et quisquam pia ...*, ibid. III, 8, 1, rem. 523 || 9: her. II, 106 *ei mihi, si, quae ...* ibid. IX, 145 *ei mihi quid feci?,* de hoc versus initio Ovidiano v. Eschenburgium in programmate scholastico Lubecensi quod inscribitur *wie hat Ovid einzelne Wörter und Wortklassen im Verse verwandt?* p. 2.

solvere vota Iovi fatorum ignara tuorum,
  mater, et armiferae solvere vota deae
Gradivumque patrem donis implere parabas
  et quoscumque coli iusque piumque deos,
maternaque sacros agitabas mente triumphos,
  forsitan et curae iam tibi currus erat.
funera pro sacris tibi sunt ducenda triumphis
  et tumulus Drusum pro Iovis arce manet.
fingebas reducem praeceptaque mente fovebas
  gaudia et ante oculos iam tibi victor erat.
'iam veniet, iam me gratantem turba videbit,
  iam mihi pro Druso dona ferenda meo.
obvia progrediar felixque per oppida dicar,
  osculaque atque oculos illius ore premam.
talis erit, sic occurret, sic oscula iunget,
  hoc mihi narrabit, sic prior ipsa loquar.'
gaudia vana foves spem pone, miserrima, falsam:
  desine de Druso laeta referre tuo.
Caesaris illud opus, voti pars altera vestri
  occidit: indignas, Livia, solve comas.
quid tibi nunc mores prosunt actumque pudice
  omne aevum et tanto tam placuisse viro?
quidque pudicitia in tantum collata bonorum,
  ultima sit laudes inter ut illa tuas?

---

24 coli *Hl* coli est ω **29** perceptaque *H C* **34** collaque osque oculos ω collaque os oculosque (oculos *l*) φ, *corr. Leo (cf. p. 36 sq.)* oscula dans oculos *Riesius* **35** si *E* occurrit *B* **37** vana *Naugerius:* magna *O* **39** voti *Heinsius:* veluti *O* **42** iam *O, corr. Heinsius* **43** quidque pudicitia tantum inviolata bonorum ω *l* quodque pudicitia est tantum inviolata bonarum *H, corr. Leo;* quidque p. t. cumulasse bonorum *Micyllus* (involvisse *Baehrensius*) quodque p. est tantum cumulata bonorum *Hauptius, alii alia (v. p. 38).*

24: her. VIII, 4 *inclusam contra iusque piumque tenet,* a. am. I, 200 *stabit pro signis iusque piumque tuis* || 36: her. XII, 72 *orsus es infido sic prior ore loqui* || 39: fast. V, 459 *en ego dimidium vestri parsque altera voti* || 40: am. III, 9, 3 *flebilis indignos, Elegeia, solve capillos* || 41: am. III, 9, 33 *quid vos sacra iuvant, quid nunc Aegyptia prosunt sistra?* || 42: trist. II, 140 *poena est quam tanto displicuisse viro.*

quid tenuisse animum contra sua saecula rectum
  altius et vitiis exeruisse caput,
nec nocuisse ulli et fortunam habuisse nocendi,
  nec quemquam nervos extimuisse tuos
nec vires errasse tuas campoque foroque
  quamque licet citra constituisse domum?
nempe per hos etiam Fortunae iniuria mores
  regnat et incerta est hic quoque nixa rota,
hic quoque sentitur, neu quid non improba carpat
  saevit et iniustum ius sibi ubique facit.
scilicet immunis si luctus una fuisset
  Livia, Fortunae regna minora forent!
quid si non habitu sic se gessisset in omni,
  ut sua non essent invidiosa bona?

Caesaris adde domum, quae certe funeris expers
  debuit, humanis altior esse malis.
ille vigil summa sacer ipse locatus in arce
  res hominum ex tuto cernere dignus erat,
nec fleri ipse suis nec quemquam flere suorum
  nec quae nos patimur vulgus et ipse pati.
vidimus erepta maerentem stirpe sororis:
  luctus ut in Druso publicus ille fuit.
condidit Agrippam quo te, Marcelle, sepulcro,
  et cepit generos iam locus ille duos.
vix posito Agrippa tumuli bene ianua clausa est,
  percipit officium funeris ecce soror.

---

45 ecuisse C_2 *in marg.* saecula: contia *l* **47** nocuisse ulli: non iusse *B* novisse nulli *m* **48** extemuisse *D* **49** feroque *m* campove forove *Baehrensius* **50** libet *Heinsius* cura. *u in ras. A* modum *Burmannus* **52** quoque, nixa *Dal Zotto* **53** ne *O, corr. Heinsius* **55** ulla *(in marg.* una*)* B_1 **61** sacer ille *Heinsius* **62** rex *D* ex *om. D* **66** esse fuit *D* **70** perficit *O, corr. Lipsius.*

46: fast. I, 300 *altius humanis exeruisse caput* || 49: am. III, 8, 57 *campusque forumque* || 54: trist. V, 10, 43 *adde quod iniustum rigido ius dicitur ense,* at cf. quod dixi p. 39 || 56: fast. VI, 758 *at Clymenus Clothoque dolent: haec, fila reneri, hic, fieri regni iura minora sui.*

ecce ter ante datis iactura novissima Drusus
  a magno lacrimas Caesare quartus habet.
claudite iam, Parcae, nimium reserata sepulcra
  claudite: plus iusto iam domus ista patet.
cedis, et in longum tua nomina, Druse, legantur
  ultima: sit fati summa querella tui.
iste potest implere dolor vel saecula tota
  et magnum luctus obtinuisse locum.
multi in te amissi, nec tu, tot turba bonorum
  omnis cui virtus contigit, unus eras;
nec genetrice tua fecundior ulla parentum,
  tot bona per partus quae dedit una duos.
heu, par illud ubi est totidem virtutibus aequum
  et concors pietas nec dubitatus amor?

vidimus attonitum fraterna morte Neronem
  pallida promissa flere per ora coma
dissimilemque sui, vultu profitente dolorem:
  hei mihi quam toto luctus in ore fuit!
tu tamen extremo moriturum tempore fratrem
  vidisti, lacrimas vidit et ille tuas
affigique suis moriens tua pectora sensit
  et tenuit vultu lumina fixa tuo,
lumina caerulea iam iamque natantia morte,
  lumina fraternas iam subitura manus.

---

71 novissima soror *B* **73** reserare *H* **74** parcite plus *H* **75** caedis *H* in longum φ: in cassum ω levantur *O, corr. Leo (v. p. 21 sq.)* **76** fati haec *O* (haec *om. l*) **78** magni ω **79** tu *O (v. p. 39): Heinsius quod dicit tres scriptos cum veterrima editione exhibere 'cui' erravit;* verba *O* (totūba *B*) **83** heud *B* tot idem *B m* **84** dubitatus A_2 *H l* **86** squallida *Heinsius* permissa ω (ro *in ras A*) **87** vultu prodente colorem *Heinsius* **88** orbe *O, corr. Rutgersius* **89** tempore: pectore *C* **91** sui C_1 pectora: lumina *in marg.* C_2 **93** caeruleia *l* iam iam *B* iam tum *H* natantia *l:* nutantia *H C* ψ micantia *B* mortem *H.*

86: trist. I, 3, 90 *squalidus, immissis hirta per ora comis* || 87: met. XI, 273 *dissimilisque sui fratrem lugebat ademptum.*

at miseranda parens suprema neque oscula fixit
  frigida nec fovit membra tremente sinu;
non animam apposito fugientem excepit hiatu
  nec sparsit caesas per tua membra comas.
raptus es absenti, dum te fera bella morantur,
  utilior patriae quam tibi, Druse, tuae.
liquitur ut quondam Zephyris et solibus ictae
  solvuntur tenerae vere tepente nives.
te queritur casusque malos irrisaque vota
  accusatque annos ut diuturna suos.
talis in umbrosis, mitis nunc denique, silvis
  deflet Threicium Daulias ales Ityn;
Halcyonum tales ventosa per aequora questus
  ad surdas tenui voce sonantur aquas;
sic plumosa novis plangentes pectora pennis
  Oeniden subitae concinuistis aves;
sic flevit Clymene, sic et Clymeneides, alte
  cum iuvenis patriis excidit ictus equis.
congelat interdum lacrimas duratque tenetque
  suspensasque, oculis fortior, intus agit:
erumpunt iterumque gravant gremiumque sinusque
  effusae gravidis uberibusque genis.

---

95 At / Et *H* supmâ *C* (vel fracta *in marg.* C_2) fixit *C* figit *B* ψ (fiegit *m*) fregit *l* sumpsit *H K* legit *Heinsius* **96** movit *O, corr. Micyllus* **97** posito B_1 **98** traxit *O* sparsit *Leo et Dal Zotto* stravit *Baehrensius* caecas *O* (cesas *A*) sectas *Lipsius* in tua *H* **101** Zephyrus ψ **103** se *Baehrensius* casusque malos irrisaque tales ω *l* casusque etiam derisa malignos *H K, corr. Heinsius* casusque malos atque irrita tura *Hauptius, alii alia (v. p. 52 adn.)* **104** accusantque ψ **106** daulias *H* daunias ω *l* **109** plangentes: l *ex corr.*, n *supra* ag D_1 **110** concinuustis *B* **111** clymeneidos ψ altae *Hm* **112** decidit *H* **114** oculus *Heinsius (v. p. 42)* fortiusor *C* ictus *O, corr. Heinsius* ait B_1 **115** lavant *Burmannus* gemitumque *O (post gem. est ras. in A), corr. Naugerius* **116** gravibus *l* ubebribusque C_1.

104: trist. V, 5, 24 *consumatque annos sed diuturna suos* (v. p. 76) 110: am. III, 12, 2 *omina non albae concinuistis aves?*

in vires abiit flendi mora: plenior unda
defluit ex silva siqua retenta mora est.
tandem ubi per lacrimas licuit, sed flebilis orsa est
singultu medios impediente sonos:
'nate, brevis fructus, duplicis sors altera partus,
gloria conspectae, nate, parentis, ubi es?
sed neque iam duplicis nec iam sors altera partus —
gloria conspectae nunc quoque matris, ubi es?
heu, modo tantus, ubi es? tumulo portaris et igni:
haec sunt in reditus dona paranda tuos.
sicine dignus eras oculis occurrere matris?
sic ego te reducem digna videre fui?
Caesaris uxori si talia dicere fas est:
iam dubito, magnos an rear esse deos.
nam quid ego admisi? quae non ego numina cultu
quos ego non potui demeruisse deos?
hic pietatis honos? artus amplector inanes,
evocat hos ipsos flamma rogusque suos.
tene ego sustineo positum scelerata videre?
tene meae poterunt ungere, nate, manus?
nunc ego te infelix summum teneoque tuorque
effingoque manus oraque ad ora fero?
nunc primum aspiceris consul victorque parenti:
sic mihi, sic miserae nomina tanta refers?

---

118 defluixt *C* ex silva *Leo:* exigua *O* est *addidi* **119** sed *O:* sic *Naugerius* est *om. l* **120** singultum *B* **122** et **123** *om. C D H* **122** conspecte *l:* confectae *H K ω* **123** neque iam *A* **124** conspecte *l:* confectae *H K ω* **125** qui modo tantus eras tumulo *H K* **127** siccine *O* matris: nostris *l* **128** fuit D_1 **130** reor *B* **131** admissi *B m* quae non ego *φ*: quae ego non *ω* nomina *D* **133** complector *H* **134** et vorat *Heinsius* et vocat *Dal Zotto* sinus *H K* suus *ω l* suos *scripsi (cf. p. 43)* **137** tueorque *A* **138** effingoque *ς*: affigoque *O* coniungoque *Baehrensius* oraque: ora C_1.

120: trist. I, 3, 42 *singultu medios impediente sonos* || 122: fast. IV, 456 *nec mora, me miseram! filia dixit ubi es?* || 132: her. II, 28 *crimine te potui demeruisse meo* || 138: her. XIX, 134 *effingoque manus insideoque toro.*

quos primum vidi fasces, in funere vidi,
et vidi eversos indiciumque mali.
quis credat? matri lux haec carissima venit
qua natum in summo vidit honore suum:
iamne ego non felix? iam pars mihi rapta Neronum,
materni celeber nomine Drusus avi?
iamne meus non est nec me facit ille parentem?
iamne fui Drusi mater et ipse fuit,
nec cum victorem referetur adesse Neronem,
dicere iam potero 'maior an alter adest?'
ultima contigimus: ius matris habemus ab uno,
unius est munus quod tamen orba negor.
me miseram, extimui frigusque per ossa cucurrit:
nil ego iam possum certa vocare meum.
hic meus ecce fuit, iubet hic de fratre vereri,
omnia iam metuo: fortior ante fui.
sospite te saltem moriar, Nero: tu mea condas
lumina et excipias hanc animam ore pio.
atque utinam Drusi manus altera et altera fratris
formarent oculos comprimerentque meos.
quod licet, hoc certe: tumulo ponemur in uno,
Druse, neque ad veteres conditus ibis avos.
miscebor cinerique cinis atque ossibus ossa:
hanc lucem celeri turbine Parca neat.'
haec et plura refert lacrimae sua verba sequuntur
oraque nequiquam per modo questa fluunt.

Quin etiam corpus matri vix vixque remissum

---

141 quos *φ*: quo *ω* quom *conieci* **142** inversos *Lipsius* **143** ehaec *C* carissima: durissima *Heinsius, sed nil mutandum (cf. p. 44)* **145** sum felix *l* **148** fuit: fui *D* **149** referatur *ω* **150** non alter *D* **154** vacare *D* **155** iubet hinc *F m* **157** tu mea *corr. ex* ne tua *D* **161** hoc certe: at certe *vel* o certe *Heinsius (v. p. 44)* **163** cinis simul *H* **165** tua verba *B* **166** nequicquam *O praeter H* **167** marti C_1 vix vixque: tibi iure *H.*

160: her. I, 102 *ille meos oculos comprimat, ille tuos* || 165: her. XIV, 67 *haec ego; dumque queror, lacrimae sua verba sequuntur.*

exequiis caruit, Livia, paene suis.
quippe ducem arsuris exercitus omnis in armis,
  inter quae periit, ponere certus erat:
abstulit invitis corpus venerabile fratris
  et Drusum patriae quod licuitque dedit.
funera ducuntur Romana per oppida Drusi —
  heu facinus! — per quae victor iturus erat,
per quae deletis Raetorum venerat armis:
  hei mihi quam dispar huic fuit illud iter!
consul init fractis maerentem fascibus urbem:
  quid faceret victus, sic ubi victor init?
maesta domus plangore sonat, cui figere laetus
  parta sua dominus voverat arma manu.
urbs gemit et vultum miserabilis induit unum:
  gentibus adversis forma sit illa precor.
incerti clauduntque domos trepidantque per urbem,
  hic illic pavidi clamque palamque dolent.
iura silent mutaeque tacent sine vindice leges:
  aspicitur toto purpura nulla foro.
dique latent templis neque iniqua ad funera vultus
  praebent nec poscunt tura ferenda rogo.
obscuros delubra tenent: pudet ora colentum
  aspicere invidiae quam meruere metu.
atque aliquis de plebe pius pro paupere nato
  sustulerat timidas sidera ad alta manus,
iamque precaturus 'quid ego autem credulus' inquit
  'suscipiam in nullos irrata vota deos?
Livia, non illos pro Druso Livia movit:
  nos erimus magno maxima cura Iovi?'

---

170 periit *Rutgersius:* que ruit ω *l* que ruens *H K* **171** miserabile *A* **172** patriae φ: primae ω prunae ς quot *Dal Zotto* **174** eras *A* **175** rhetorum ω *l* rethorum *A* rectorum *H* **177** consul init φ: consulunt B_1 *m* consuluit *A* B_2 C_1 *D E* ς **178** victus qui modo victor erat *H* **180** noverat *D* **183** trepidant *scripsi:* strepitant *O* **184** illi *A* **185** iacent *Heinsius* **193** autem φ: aut ω (haud *A*) iam ς **194** suspiciam *D* nullos: o *corr. ex* u D_1.

dixit et iratus vota insuscepta reliquit
  duravitque animum destituitque preces.
obvia turba ruit lacrimisque rigantibus ora
  consulis erepti publica damna refert.
omnibus idem oculi, par est concordia flendi:
  funeris exequiis adsumus omnis eques,
omnis adest aetas maerent iuvenesque senesque
  Ausoniae matres Ausoniaeque nurus.
auctorisque sui praefertur imagine maesta
  quae victrix templis debita laurus erat.
certat onus lecti generosa subire iuventus
  et studet officio sedula colla dare.
et voce et lacrimis laudasti, Caesar, alumnum,
  tristia cum medius rumperet orsa dolor.
tu letum optasti dis aversantibus omen
  par tibi, si sinerent te tua fata mori.
sed tibi debetur caelum, te fulmine pollens
  accipiet cupidi regia magna Iovis.
quod petiit, tulit ille, tibi ut sua facta placerent,
  magnaque laudatus praemia mortis habet.
armataeque rogum celebrant de more cohortes
  ac pedes exequias reddit equesque duci.
te clamore vocant iterumque iterumque supremo:
  at vox adversis collibus icta redit.
ipse pater flavis Tiberinus adhorruit undis
  sustulit et medio nubilus amne caput;
tum salice implexum muscoque et arundine crinem

---

198 destituique *l* **199** rigantibus *m* **201** flentis *D* **202** adsumis *m* adstitit *A* **207** luctu *O, corr. Naugerius* **210** orsa *A*: ossa ω *l* ora *H K* dolor *om. E* **211** aversantibus *C* adversantibus *O* omnem *C* **215** quod φ: quid ω periit C_2 tulit *Micyllus:* vult *O* **218** ast ω *l* at *H K, corr. Pithoeus* has *Baehrensius* **220** a≡versis *H* dedit *D* **221** tyberinis *B* abhorruit• *A H* inhorruit *M* **222** sustulit e medio ω sustulit et m. *l* et tulit e m. *H K* nubibus ψ **223** amplexum *H* musco B_1.

204: trist. II, 23 *ipse quoque Ausonias Caesar matresque nurusque* ‖ 210: met. VI, 583 *dolor orsa repressit.*

caeruleum magna legit ab ore manu
uberibusque oculis lacrimarum flumina misit;
  vix capit adiectas alveus altus aquas.
iamque rogi flammas extinguere fluminis ictu
  corpus et intactum tollere certus erat:
sustentabat aquas cursusque inhibebat ad aequor
  ut posset toto proluere amne rogum.
sed Mavors, templo vicinus et accola campi,
  tot dixit siccis verba neque ipse genis:
quamquam nos decet ira, tamen, Tiberine, quiescas:
  non tibi, non ullis vincere fata datur.
iste meus periit, periit arma inter et enses
  et dux pro patria (funera cassa) iacet.
quod potui tribuisse, dedi: victoria parta est:
  auctor abit operis, sed tamen extat opus.
quondam ego temptavi Clothoque duasque sorores,
  invida quae certo pollice pensa trahunt,
ut Remus Iliades et frater conditor urbis
  effugerent aliqua stagna profunda via.
de tribus una mihi ‘partem accipe quae datur’ inquit
  ‘muneris: ex istis quod petis alter erit.
hic tibi, mox Veneri Caesar promissus uterque:
  hos debet solos Martia Roma deos.’

---

224 caeruleo *Micyllus* **226** abiectas D_1 **227** auctu *Rutgersius* actu *Heinsius* **229** ad aequor *Heinsius:* equorum *O* (equor *B*) **230** pulvere + *(eadem nota in margine)* anne *B* **231** vicimus *D* **233** nos *Leo:* amnes *O* animi *Baehrensius* **234** non nullis *E* **235** parma *B* **236** et *O:* ut *Burmannus* funera causa latet *O, corr. Leo* funere causa patet *Cuperus* funera causa levet *Ehwaldius* **239** cloto (*om.* que) *C* **240** impia quae certo pollice pensa trahunt *φ, corr. Heinsius* pollice quae certo pensa severa trahunt *ω* **241** illi aedes *m.*

226: am. III, 6, 86 *nec capit admissas alveus altus aquas* || 232: her. XI, 10 *spectasset siccis vulnera nostra genis,* trist. I, 1, 28 *carmina nec siccis perlegat ista genis* || 241: am. III 4, 40 *Romulus Iliades Iliadesque Remus.*

sic cecinere deae: nec tu, Tiberine, repugna
  irrite nec flammas amne morare tuo
nec iuvenis positi supremos destrue honores;
  vade age et immissis labere pronus aquis.
paret et in longum spatiosas explicat undas
  structaque pendenti pumice tecta subit.

flamma diu cunctata caput contingere sanctum
  erravit posito lenta sub usque toro.
tandem ubi complexa est silvas alimentaque sumpsit,
  aethera subvectis lambit et astra comis,
qualis in Herculeae colluxit collibus Oetae,
  cum sunt imposito membra cremata deo.
uritur heu decor ille viri generosaque forma
  et faciles vultus, uritur ille vigor
victricesque manus facundaque principis ora
  pectoraque, ingenii magna capaxque domus.
spes quoque multorum flammis uruntur in isdem,
  iste rogus miserae viscera matris habet.
facta ducis vivent operosaque gloria rerum:
  haec manet, haec avidos effuget una rogos.
pars erit historiae totoque legetur in aevo
  seque opus ingeniis carminibusque dabit.
stabis et in rostris tituli speciosus honore
  causaque dicemur nos tibi, Druse, necis.
at tibi ius veniae superest, Germania, nullum:
  postmodo tu poenas, barbare, morte dabis.

---

247 cecidere *B* **248** irrita *O, corr. Naugerius* ultra *Dal Zotto* **250** admissis *Bersmannus* **251** explicit *l* inrigat *C* **252** strictaque *ω* **254** sibi usque *O, corr. Naugerius* subitque *Lipsius* **256** subiectis *O, corr. Bentleius* subrectis *Baehrensius* **257** herculeo C_2 **260** graciles *Francius* **263** flammas C_1 **266** efficit *B* **269** stabit *B* **271** ius C_2 *in ras.* vis *m* **272** barbara *Heinsius.*

252: met. VIII, 562 *pumice multicavo nec levibus atria tophis* | *structa subit* || 265: her. II, 63 *fallere credentem non est operosa puellam* | *gloria* || 266: trist. III, 3, 60 *effugiatque avidos pars mihi nulla rogos.*

aspiciam regum liventia colla catenis
  duraque per saevas vincula nexa manus
et tandem trepidos vultus inque illa ferocum
  invitis lacrimas decidere ora genis.
spiritus ille minax et Drusi morte superbus
  carnifici in maesto carcere dandus erit.
consistam laetisque oculis, lentusque videbo
  strata per obscenas corpora nuda vias:
hunc Aurora diem spectacula tanta ferentem
  quam primum croceis roscida portet equis.
adice Ledaeos, concordia sidera, fratres
  templaque Romano conspicienda foro.
quam parvo numeros implevit principis aevo
  in patriam meritis occubuitque senex.
nec sua conspiciet — miserum me — munera Drusus
  nec sua prae templi nomina fronte leget.
saepe Nero illacrimans submissa voce loquetur
  'cur adeo fratres heu sine fratre deos?'
certus eras numquam nisi victor, Druse, reverti;
  haec te debuerant tempora: victor eras.
consule nos, duce nos, duce iam victore caremus:
  invenit tota maeror in urbe locum.
at comitum squalent immissis ora capillis:
  infelix, Druso sed pia turba suo!
quorum aliquis tendens in te sua bracchia dixit:
  'cur sine me, cur sic incomitatus abis?'

quid referam de te, dignissima coniuge Druso
  atque eadem Drusi digna parente nurus?

---

279 laetusque *O, corr. Heinsius* **280** fracta per *B* **281** laeta ferentem *A* **282** rosida *D E* **285** numero *B* **287** conspiceret C_1 **288** pro templi *M* **289** in lachrymas *O* (illacrimas *F*), *corr. Micyllus* **293** canemus D_1 *l* **294** tota *H* in tota *ω l* (rota *D*) et tota *A* en tota *Heinsius* **299** bruto *H.*

283: ad rem. cf. Ov. fast. I, 704 sq. || 284: fast. V, 552 *templaque in Augusto conspicienda foro.*

par bene compositum: iuvenum fortissimus alter,
  altera tam forti mutua cura viro.
femina tu princeps, tu filia Caesaris illi
  nec minor es magni coniuge visa Iovis;
tu concessus amor, tu solus et ultimus illi,
  tu requies fesso grata laboris eras.
te moriens per verba novissima questus abesse
  et mota in nomen frigida lingua tuum.
infelix recipis non quem promiserat ipse,
  nec qui missus erat, nec tuus ille redit,
nec tibi deletos poterit narrare Sicambros
  ensibus et Suevos terga dedisse suis
fluminaque et montes et nomina magna locorum
  et siquid miri vidit in orbe novo.
frigidus ille tibi corpusque refertur inane,
  quemque premat sine te, sternitur ecce torus.
quo raperis laniata comas similisque furenti?
  quo ruis? attonita quid petis ora manu?
hoc fuit Andromachae, cum vir religatus ad axes
  terruit admissos sanguinolentus equos.
hoc fuit Euadnae tunc cum ferienda coruscis
  fulminibus Capaneus impavida ora dedit.
quid mortem tibi maesta rogas amplexaque natos
  pignora de Druso sola relicta tenes

---

302 iam *O, corr. Heinsius* **304** visa *φ*: iussa *ω* **305** confessus *Burmannus, at cf. Petron. 127 (p. 95, 6 B)* **307** te moriens questus per verba novissima abesse *Leo (scil. propter caesuram)* pro verba *ω* **308** mota in *B H l:* motam *C D E m* mota ad *A* linga *D* **310** tu qui *C* **312** suetos *D* **314** et quidquid *Francius* meriti D_1 **315** cibi *B* **318** attonita *in marg. add. D* **319** Andromachae *Philelfus:* Andromache *O* axem *A m* **321** Euadnae *scripsi:* Euadne *O* furibunda *l.*

302: fast. II, 730 *coniugibus nostris mutua cura sumus* || 318: a. am. I, 538 *litore et attonita tympana pulsa manu;* fast. III, 864 *et ferit attonita pectora nuda manu* || 320: her. I, 36 *hic alacer missos terruit Hector equos* || 324: her. VII, 82 *occidit, a duro sola relicta viro,* a. am. III, 36 *pavit in ignoto sola relicta loco,* trist. IV, 3, 40 *morte fores sola relicta mea.*

et modo per somnos agitaris imagine falsa
  teque tuo Drusum credis habere sinu
et subito temptasque manu sperasque receptum
  quaeris et in vacui parte priore tori?

Ille pio — si non temere haec creduntur — in arvo
  inter honoratos excipietur avos,
magnaque maternis maioribus, aequa paternis
  gloria quadriiugis aureus ibit equis
regalique habitu curruque superbus eburno
  fronde triumphali tempora vinctus erit.
accipient iuvenem Germanica signa ferentem
  consulis imperio conspicuumque decus.
gaudebuntque suae merito cognomine gentis,
  quod solum domito victor ab hoste tulit.
vix credent tantum rerum cepisse tot annos,
  magna viri latum quaerere facta locum.
haec ipsum sublime ferent, haec, optima mater,
  debuerant luctus attenuare tuos.
femina digna illis quos aurea condidit aetas,
  principibus natis, principe digna viro,
quid deceat Drusi matrem matremque Neronis
  aspice, quo surgas aspice mane toro.
non eadem vulgusque decent et culmina rerum:
  est quod praecipuum debeat ista domus.
imposuit te alto Fortuna locumque tueri
  iussit honoratum: Livia, perfer onus.
ad te oculos auresque trahis, tua facta notamus
  nec vox missa potest principis ore tegi.
alta mane supraque tuos exurge dolores

v. 347 defl. *non eadem vulgusque decent et limina regum.*

332 aureis *B m* abit *D* **334** tempora *in ras. D* victus *C* **336** impero: o *ex* ii *corr. D* impium *C* **340** viri *O*: rati *Hauptius* **343** quas *Micyllus* quas . . . prodidit *Ruhnkenius (v. p. 48 sq.)* **344** principus *B* **346** aspic *C* **347** decent: petunt *H* lumina *O*, *corr. Scaliger* **349** i! posuit *Palmerus* alte *H l* tenere *B C* teneri *ψ*.

332: a. am. I, 214 *quattuor in niveis aureus ibit equis.*

  infragilemque animum — quod potes — usque tene.
an melius vitae virtutum exempla petemus
  quam si Romanae principis edis opus?

fata manent omnes, omnes expectat avarus
  portitor et turbae vix satis una ratis.
tendimus huc omnes, metam properamus ad unam,
  omnia sub leges Mors vocat atra suas:
ecce, necem intentam caelo terraeque fretoque,
  casurum triplex vaticinatur opus:
i nunc et rebus tanta impendente ruina
  in te solam oculos et tua damna refer.
maximus ille quidem iuvenum spes publica vixit
  et qua natus erat gloria summa domus:
sed mortalis erat nec tu secura fuisti
  fortia progenie bella gerente tua.
vita data est, utenda data est sine fenore nobis
  mutua nec certa persoluenda die.
Fortuna arbitriis tempus dispensat iniquis:
  illa rapit iuvenes, sustinet illa senes,
quaque ruit furibunda ruit totumque per orbem
  fulminat et caecis caeca triumphat equis.
regna deae immitis parce irritare querendo,
  sollicitare animos parce potentis erae.
quae tamen hoc uno tristis tibi tempore venit,
  saepe eadem rebus favit amica tuis.

v. 357—362 defl.
v. 369—374 defl.

354 quod *φ*.: quo *ω* **355** at C_2 ac *Baehrensius* vitae *Leo*: per te *O* certe *Baehrensius* **356** quin tu *l* cum tu *Baehrensius* aedis *B* **361** intendant *Bentleius* fretroque *C* **362** casurumque triplex vaticinantur opus *Heinsius (sed v. p. 49)* **366** et: ex *l* quantus erat vestrae gloria *H* **367** erit *E m* **371** ubique *ω* inique *φ*, *corr. Heinsius* **372** sustulit *ω* **375** regnat, et immitis: *Leo* **376** herae *O* (eherae *B*).

359: met. X, 33 *serius aut citius sedem properamus ad unam;* | *tendimus huc omnes* . . || 362: trist. II, 426 *casurumque triplex vaticinatur opus.*

nata quod alte es quodque es fetibus aucta duobus
quodque etiam magno consociata Iovi,
quod semper domito rediit tibi Caesar ab orbe
gessit et invicta prospera bella manu,
quod spes implerunt maternaque vota Nerones,
quod pulsus totiens hostis utroque duce —
Rhenus et Alpinae valles et sanguine nigro
decolor infecta testis Isargus aqua
Danuuiusque rapax et Dacius orbe remoto
Appulus (huic hosti perbreve Pontus iter)
Armeniusque fugax et tandem Dalmata supplex
summaque dispersi per iuga Pannonii
et modo Germani Romanis cognitus orbis —:
aspice quam meritis culpa sit una minor.

adde quod est absens functus nec cernere nati
semineces oculos sustinuere tui,
qui dolor et menti lenissimus influit aegrae,
accipere es luctus aure coacta tuos
praevertitque metus per longa pericula luctum.
tu quibus auditis anxia mentis eras:

---

379 nata quod (que C_1) alte (e *corr. ex* a *B*) es quodque (que *om.* A_1) es foetibus *O* (alte es quodque es *H in ras.*) nata quod es alte ς nata quod ex alto, quod foetibus *Naugerius* nata quod en alte es, quod foetibus *Heinsius* **382** gestat *O* gessit *vulgo* bella: tela *Heinsius; conicias* gesta atque invicta prospera bella manu **386** Itargus *O*: Isargus *Zeussius* („*die Deutschen und ihre Nachbarstämme*“ p. 237) **387** Danubiusque *O praeter l* capax ψ **388** per breve *O, corr. Micyllus* **389** delmata *m* **391** germanus *A C* romanus *B* **392** quam: quot *Heinsius* **393** functus *H K A* foetus ω *l* **394** tui *H l* B_1 *in marg.*: tibi ω **395** quique dolor et χ (et *ras. C*) qui dolor et *H* ψ quique dolor (*om.* et) *l* es **395** leuissimus ψ **396** accipere es φ: acciperes ω (acciperes *A*) est ictus . . . suos *Baehrensius.*

---

385 sq.: trist. IV, 2, 42 *decolor ipse suo sanguine Rhenus erat,* ep. ex. P. III, 4, 108 *squalidus immissos fracta sub harundine crines | Rhenus et infectas sanguine portet aquas.*

non ex praecipiti dolor in tua pectora venit,
sed per mollitos ante timore gradus.
Iuppiter ante dedit fati mala signa cruenti
flammifera petiit cum tria templa manu:
Iunonisque gravi nocte impavidaeque Minervae
sanctaque item magni Caesaris icta manus.
sidera quin etiam caelo fugisse feruntur
Lucifer et solitas destituisse vias:
Lucifer in toto nulli comparuit orbe
et venit stella non praeeunte dies:
sideris hoc obitus terris instare monebat
et mergi Stygia nobile lumen aqua.

at tui qui superes maestae solacia matri
comprecor illi ipsi conspiciare senex.
perque annos diuturnus eas fratrisque tuosque
et vivat nato cum sene mater anus.
eventura precor: deus excusare priora
dum volet, a Druso cetera laeta dabit.
tu tamen ausa potes tantum indulgere dolori,
longius ut nolis — heu male fortis! — ali.
vix etiam fueras paucas vitalis in horas,
obtulit invitae cum tibi Caesar opem
admovitque preces et ius immiscuit illis
aridaque affusa guttura tinxit aqua.
nec minor est nato servandae cura parentis:
hic adhibet blandas, nec sine iure, preces.
coniugis et nati meritum pervenit ad omnes:

---

402 tua templa *l* sua t. *Cuperus* **403** iunonis (*om.* que) *H* gravi nocte ω: gravis notae *H K* gradus note *l* **404** sanctaque et immensi ω *l*, *corr. Leo* divini (*om.* et) *H K* sancta quoque immeriti *Heinsius* manus: domus *Naugerius* **408** pereunte *B* **410** numen ω (nomen *D*) *H* **411** super es *B A m l* **415** et ventura ω *l* **416** velit *l* **417** ausa: usque *Heinsius* tanto *O, corr. Burmannus* tu tam incauta potes *Dal Zotto* **419** quin etiam *H* **424** sed sine *Ruhnkenius* **425** coniugis: is *corr. ex* ii *B.*

425: met. XIII, 181 *ut dolor unius Danaos pervenit ad omnes.*

coniugis et nati, Livia, sospes ope es.
supprime iam lacrimas: non est revocabilis istis
  quem semel umbrifera navita lintre tulit.
Hectora tot fratres, tot deflevere sorores
  et pater et coniunx Astyanaxque puer
et longaeva parens: tamen ille redemptus ad ignes
  nullaque per Stygias umbra renavit aquas.
contigit hoc etiam Thetidi: populator Achilles
  Iliaca ambustis ossibus arva premit.
illi caeruleum Panope matertera crinem
  solvit et immensas fletibus auxit aquas
consortesque deae centum longaevaque magni
  Oceani coniunx Oceanusque pater
et Thetis ante omnes: sed nec Thetis ipsa neque omnes
  mutarunt avidi tristia iura dei.
prisca quid huc repeto? Marcellum Octavia flevit
  et flevit populo Caesar utrumque palam.
sed rigidum ius est et inevitabile mortis,
  stant rata non ulla fila renenda manu.

ipse tibi emissus nebulosi litore Averni,
  si liceat, forti verba tot ore sonet:
'quid numeras annos? vixi maturior annis:
  acta senem faciunt, haec numeranda tibi,
his aevum fuit implendum, non segnibus annis:
  hostibus eveniat longa senecta meis!

v. 427, 428 defl.
v. 443, 444 defl.

433 hoc φ: haec ω chetidi *B* populator: u *corr. ex* o D_1 **435** crimen (*in marg.* crinem) *B* **437** deae *om. B* **438** Oceanique C_1 **439** nec *H l:* ne ω nec omnes *H* **440** avidi: vita *B* **441** haec *A* reputo *C* **444** tenenda *O, corr. Salmasius* **445** nebulosum littus ω nebulosi in littore φ, *corr. Heinsius* **446** sic liceat ω *l* verbo (a) . . . sonent *B* **448** et **449** *om. B* **450** metu *O* (situ C_2); *Scaligerum coniecisse* meis *notat Heinsius.*

433: met. XII, 593 *vivit adhuc operis nostri populator Achilles.* || 450: am. II, 10, 17 *hostibus eveniat vita severa meis* (idem versus initium etiam a. am. III, 247; ep. ex P. IV, 6, 35).

hoc atavi monuere mei proavique Nerones —
  fregerunt ambo Punica bella duces —
hoc domus ista docet, per te mea, Caesaris alti:
  exitus hic, mater, debuit esse meus.
nec meritis — quamquam illa iuvant magis — afuit illis,
  mater, honos: titulis nomina plena vides.
consul et ignoti victor Germanicus orbis,
  cui fuit haec mortis publica causa, legor.
cingor Apollinea victricia tempora lauro
  et sensi exequias funeris ipse mei,
decursusque virum notos mihi donaque regum
  cunctaque per titulos oppida lecta suos,
et quo me officio portaverit illa iuventus
  quae fuit ante meum tam generosa torum.
denique laudari sacrato Caesaris ore
  emerui, lacrimas elicuique deo.
et cuiquam miserandus ero? iam comprime fletus:
  hoc ego, qui flendi sum tibi causa, rogo.'
haec sentit Drusus — si quid modo sentit in umbra —
  nec tu de tanto crede minora viro.
est tibi — sitque precor — multorum filius instar
  parsque tui partus est tibi salva prior,
est coniunx tutela hominum, quo sospite vestram,
  Livia, funestam dedecet esse domum.

454 me≡us *D* **455** quicquam *O, corr. Gronovius* illa: ipsa *Baehrensius* affluit *M* **457** consul et φ *(cf. v. 177):* consulet ω **458** qui *O, corr. Lipsius* fuit haec *scripsi:* fuit heu *O* **462** victaque *Heinsius* **463** portavit *C* **466** emerui A_2: et merui *O* **469** sensit D_1 **472** est *scripsi:* sit *O it Heinsius* sic *Dal Zotto.*

Publii Ovidii Nasonis Epistole consolatorie ad Liviam Augustam de morte Drusi Neronis filii eius qui in Germania morbo periit *C.*

461: trist. IV, 2, 20 *cumque ducum titulis oppida capta leget.* || 471: her. I, 111 *est tibi — sitque precor — natus qui . . .* || 472: ep. ex P. II, 8, 48 *pars fuerit partus sola caduca tui.*

Pars altera.

Qua aetate consolatio ad Liviam conscripta sit.

Altera huius disputationis parte proposui mihi de aetate et auctore consolationis quid iudicem proferre. Hac de quaestione novi aliquid me proferre neque velle neque posse iam in praefatione dixi. Immo vero sententiam argumentis ab aliis confirmatam tueri ac defendere debeo contra Skutschium, qui ipse postremus hanc rem aggressus probare conatur consolationem anno a. Chr. n. nono, statim igitur post Drusi mortem, compositam esse[1]); quantopere autem viri doctissimi argumentatio quasi vacillet et claudicet, videbimus.

Ad rem diiudicandam primum agendum est — sequor argumentandi rationem qua Skutschius usus est — de versibus consolationis 283 sq.

adice Ledaeos, concordia sidera, fratres
templaque Romano conspicienda foro.
quam parvo numeros implevit principis aevo
in patriam meritis occubuitque senex.
nec sua conspiciet — miserum me — munera Drusus
nec sua prae templi nomina fronte leget.

1) in commentatione quae edita est in Pauly-Wissowae encyclop. real. vol. IV, p. 933 sq., sub voce *consolatio ad Liviam.*

Quae legimus in his versibus illustrantur a Dione Cassio (60, 27) et a Suetonio (Tib. 20) narrantibus Tiberium anno p. Chr. n. sexto *dedicasse Pollucis et Castoris suo fratrisque nomine de manubiis.* De hoc templo Ovidius quoque dicit fast. I, 704 sq.:

at quae venturas praecedet sexta Kalendas,
hac sunt Ledaeis templa dicata deis.
fratribus illa deis fratres de gente deorum
circa Iuturnae composuere lacus.

Sed ait Skutschius aedem a fratribus votam anno a. Chr. n. septimo conflagrasse, quam ad sententiam confirmandam testimonio utitur Wissowae Analectorum topogr. Rom. p. 16 (Gesamm. Abh. zur röm. Relig. u. Stadtgesch. p. 273); ubi ne unum quidem verbum invenies de templo a fratribus dedicato; neque enim ullum fuit templum praeter illud a. u. 270 a Postumio dedicatum, a Tiberio refectum. Ergo erravit Skutschius autumans ad aliud templum consolatoris verba referri posse atque ad hoc anno p. Chr. n. sexto votum. Neque dubitari potest quin post hunc ipsum annum consolatio conscripta sit. Quod cum ita sit, problema ipsum plane solutum est. Caret enim omni veritatis specie Liviae ipsi viginti fere annis post Drusi obitum carmen dedicatum esse. Nam quicumque tempore aliquo intermisso consolandi aggressi sunt officium, omnes excusationes in prooemiis protulisse videmus. Sic Seneca dicit ad Marc. I, 7 *tertius iam praeteriit annus* et q. s. (cf. Gerckium *de consolationibus* p. 42 sq.).

Confirmatur res ratione inter Ovidium et consolationem Liviae intercedente. Quod si ostenditur consolatorem locis quibusdam in carmine suo tristia epistulasque ex Ponto imitatum esse — id quod Skutschius negat — consolatio certe post ista carmina Ovidiana composita est. Sed hac de re iam alii ita disputaverunt, ut quae sit illa ratio dubitari non debeat; quorum disputationes cum Skutschius verbis contrarium autumans ne conetur quidem refellere, supersedemus repetere quod illi recte exposuerunt

(dico praeter ceteros Hauptium l. c. p. 335 sq. et Wiedingium l. c. p. 21 sq.).

Omnes locos Ovidianos ab illis viris doctis partim accurate tractatos, ex quibus satis evidenter apparet uter poeta alteri exemplo fuerit, Skutschius intactos relinquit. Unum vero in transitu quasi et cursim attingens exposuisse se censet Ovidium omnia carmina sua et multis locutionibus et totis versibus ex hoc uno carmine sumptis refersisse; quem locum accuratius iam inspiciamus: trist V, 5, 24

vivat ametque virum, quoniam sic cogitur, absens
consumatque annos — sed diuturna — suos.

et cons. 104

te queritur casusque malos irrisaque vota
accusatque annos ut diuturna suos.

Ad hos igitur versus adnotat Skutschius „in den Versen cons. 104 ∾ trist. V, 5, 24 ist beim Consolator alles glatt, insbesondere das *ut* tadellos. Wenn nun an sich unwahrscheinlich ist, daß durch Veränderungen dieser einen Silbe der ovidischen Wendung ein so durchaus sinngemäßer Ausdruck zustande gekommen sei, so kommt hinzu, daß bei Ovid gerade das *sed* gar nicht wohl paßt, ja daß *sed diuturna* geradezu im Widerspruch steht mit *suos.*“ Haec igitur est Skutschii argumentatio qua se demonstrasse satis putat quae ratio statuenda sit inter Ovidii tristia epistulasque et alia carmina atque consolationem. Sed primum imitator — utercumque est — non solum unam syllabam, sed etiam verbum mutavit. Porro libenter concedo in consolatione sensum hoc quidem loco non ineptum, sed optimum esse. Apud Ovidium autem illud *sed diuturna* non solum optimum est, sed ipsum demum toti loco pondus coloremque ut ita dicam praebet. Poeta hoc vult *consumat annos quos fatum constituit* (i. e. *suos*); *sed hi anni fato destinati sint precor quam plurimi.* Est igitur *sed diuturna* διὰ μέσου quasi illatum. Qua de

causa vero Skutschius in hoc versu offendat, non intellego. Ergo non dubito dicere ut multos alios hunc quoque versum consolatorem ex Ovidio hausisse. Addo aliud. Id quod ex multis locis [1]) apparet, auctor consolationis priora quoque carminaOvidiana — dico illa ante annum a. Chr. n. nonum composita — excerpsit, quod ne Skutschius quidem negare potest. Satis habeo hos locos afferre:

am. III, 9, 3 ∾ cons. 40
her. XIV, 67 ∾ cons. 165
am. III, 6, 86 ∾ cons. 226
am. II, 10, 17 ∾ cons. 450
her. I, 111 ∾ cons. 471

Secundum igitur sententiam illius viri docti est Ovidius et exemplum et imitator consolatoris, quae quidem opinio omni veritatis specie caret. Immo auctor consolationis et prioribus carminibus et tristibus epistulisque ex Ponto Ovidianis usus est.

Sed sunt alia quoque argumenta quibus probari potest consolationem certe non statim post Drusi mortem scriptam esse. In versibus 411—416 poeta optat, ut Tiberius iam solus sospes diu cum matre vivat:

at tu qui superes maestae solacia matri,
comprecor illi ipsi conspiciare senex

1) cf. Hauptium l. c. p. 337 atque illam collectionem Huebneri (in Hermae volumine XIII, p. 150 sq.), quem quidem rem nonnumquam in falsum augere Skutschio (l. c. p. 941) concedo. Omnino enim non tam singuli loci — quamquam ne eos quidem omittere licet — quam carminis color qui character dicitur spectandus est. Et hunc colorem consolationis Liviae prorsus esse Ovidianum primo obtutu intellegi potest. Pertinet ni fallor ad consolatorem id quod disertis verbis iudicavit Friedlaenderus de toto tempore Neroniano (Sit. Gesch. III p. 407): „Auch abgesehen von diesen Exercitien (scil. ludis rhetoricis) bestand die Dilettantenpoesie und selbst die der eigentlichen Dichter ohne Zweifel zum großen, wo nicht zum größten Teil in Reproduction der classischen römischen oder griechischen Muster. ... Gab es doch sogar Ovidische und Vergilische Dichter, d. h. solche, die ihre Gedichte nur aus Wendungen, Phrasen und Versen Ovids und Vergils verfaßten.“ Infra ad hanc rem redibo.

perque annos diuturnus eas fratrisque tuosque
et vivat nato cum sene mater anus.

Mirum esse quo casu illud poetae desiderium evenerit, recte iam Wiedingius vidit (l. c. p. 25). Idem suo iure dicit eum qui tam bona oracula dederit, post eventum ea dedisse. Versibus deinde 270—82 significari triumphos illos quos Tiberius egit anno a. Chr. n. sexto et anno p. Chr. n. duodecimo de Germanis, eis igitur contineri non eventura, sed iam facta recte iam Ribbeckius [1]) monuit.

Si igitur summam facimus quaestionis adhuc institutae, dicendum est consolationem Liviae nullo modo statim post Drusi mortem, sed post annum p. Chr. n. sextum decimum compositam esse. Ergo apparet eam Liviae ipsi minime dedicatam esse, esse potius carmen scholasticum, quam sententiam quam paucis tam disertis verbis pronuntiavit iam Buechelerus („Philologische Kritik," Bonnae 1878 p. 15): „. . . dem Altertum entstammt das Product, doch einem späteren Jahrhundert, wo beim Ersterben der wahren Poesie die gelehrten Versemacher, ähnlich wie zuvor die Rhetoren, als die Quelle der Beredsamkeit versiegte, geschichtliche Themen und Situationen beliebig fingierten, um in der Rolle eines Ovid, wie jene als Cicero, ihren Schulwitz zu üben."

Sed cui aetati consolatio tribuenda est? Ut certius iudicium faciamus, tertio iam contemplemur, quae ratio intercedat inter Senecae philosophi scripta et hoc carmen. Intercedere talem rationem iam Hauptius l. c. p. 340 aliique recte viderunt. Solus Skutschius ullam rationem extare inter Senecam et consolationem negat, sed locos ab aliis conlatos ad obrussam exigere omisit, non aliter atque in Ovidio vidimus. Sed videamus quo modo res se

1) dicit (Röm. Dicht. III, 135): „Der Verfasser ist übrigens vollkommen gut unterrichtet über die Persönlichkeit und Vergangenheit des Drusus, über die Umstände seines Todes und seiner Bestattung, über Taten und Erfolge der römischen Waffen in Germanien einschließlich der Triumphe von 746 und 765, welche nachträglich geweissagt werden."

habeat. Multis enim locis — non dico uno loco ut Skutschius — similitudo inter Senecam et consolatorem tanta est, ut altero alterum esse usum luce clarius sit. Contemplemur locos ipsos; contemplandae autem sunt imprimis Senecae consolationes ad Marciam et ad Polybium scriptae. Quibus in consolationibus Seneca duobus locis commemorat Liviam ipsam et Drusi obitum, dico ad Marc. III, 1, 2 et ad Polyb. XXXIV, 5. Habet autem quae refert de morte Drusi Seneca e Livio, qui in ultimo operis capite de illius obitu rettulerat (cf. epit. 140).

Priore igitur loco apud Senecam haec legimus:

Sen. ad Marc. III, 1, 2	consolatio ad Liviam
Livia amiserat filium Drusum, magnum futurum principem, iam magnum ducem;	v. 14: *maximus ille armis, maximus ille toga*
intraverat penitus Germaniam et ibi signa Romana fixerat, ubi vix ullos esse Romanos notum erat. In expeditione decesserat ipsis illum hostibus aegrum cum veneratione et pace mutua prosequentibus nec optare quod expediebat audentibus. Accedebat ad hanc mortem quam ille pro re publica obierat,	v. 19, 20: *ignotumque tibi meruit, Romane, triumphum protulit in terras imperiumque novas*
ingens civium provinciarumque et totius Italiae desiderium per quam effusis in officium lu-	v. 181: *urbs gemit et vultum miserabilis induit unum* v. 201: *omnibus idem oculi, par est concordia flendi*

gubre municipiis coloniisque usque in urbem ductum erat funus, triumpho simillimum.	v. 463: *et quo me officio portaverit illa iuventus* v. 199: *obvia turba ruit lacrimisque rigantibus ora* v. 27: *funera pro sacris tibi sunt ducenda triumphis*
Non licuerat matri ultima oscula filii gratumque extremi sermonem oris haurire.	v. 95 sq.: *at miseranda parens suprema neque oscula fixit frigida nec fovit membra tremente sinu non animam apposito fugientem excepit hiatu.*
Longo itinere reliquias sui prosecuta tot per omnem Italiam ardentibus rogis quasi totiens illum amitteret, inritata, ut primum tamen intulit tumulo, simul et illum et dolorem suum posuit,	v. 173: *funera ducuntur Romana per oppida Drusi*
nec plus doluit quam aut honestum erat in Caesare aut aequum in filio.	v. 345: *quid deceat Drusi matrem matremque Neronis*

Quamquam Skutschio[1]) concedo hac in quaestione tota saepe peccari, quatenus quae toti huic litterarum generi sive saeculo cuidam communia sunt, pro certi ingenii inventis habentur — qua de causa ego quaecumque communia videbantur omisi et eos tantum locos affero, ubi apud utrumque de eadem re, scil. de morte Drusi sermo est —, tamen opinor his locis vel ex collatione apparet alterum alterius descriptionem non solum novisse, sed etiam ante oculos habuisse. Conexus quidam deinde extare videtur inter Senecae consolationem ad Polybium scriptam et epicedion Drusi; inspicias quaeso haec verba:

1) recte ante Skutschium iam Ribbeckius iudicaverat de hac re, cum dicit (Röm. Dichtung III, p. 138) „die Verbreitung solcher Gedanken verkennt, wer sie allein aus den einschlagenden Schriften Senecas herleiten will."

Sen. ad Pol. 34, 5	consolatio ad Liviam
(Tiberius) modum tamen lugendi non sibi tantum, sed etiam aliis fecit ac totum exercitum non solum maestum, sed etiam attonitum corpus Drusi sui sibi vindicantem ad morem Romani luctus redegit.	v. 85: *vidimus attonitum fraterna morte Neronem* v. 171, 172: *abstulit invitis* (scil. militibus) *corpus venerabile frater et Drusum patriae quod licuitque dedit.*

Unus locus quem ad hanc rem diiudicandam Skutschius attulit, hic est:

Sen. ad Pol. 20, 2	consolatio ad Liviam v. 361
eat nunc aliquis et singulas comploret animas.	*i nunc et rebus tanta impedente ruina in te solam oculos et tua damna refer.*

Atque in litteris Latinis saepe inveniri *i nunc* commemoravit. Sed non hoc agitur, immo quam veri simile sit utrique sua sponte eam ipsam locutionem in eadem re occurrisse. Qua de causa censeo haud permultum profecisse Skutschium, qui putet se probasse nullam rationem exstare inter Senecam et consolatorem, cum ostenderit illud *i nunc* saepius in litteris Latinis inveniri. Sed satis de singulis locis.

Senecam vero carminis imitatorem dici non posse Skutschius ipse concedit; dicit „gewiß war es ein höchst unglücklicher Gedanke, die im ganzen wohl geordneten straffen Gedankenreihen Senecas aus dem oft vagen und klarer Disposition entbehrenden Gedichte herleiten zu wollen[1])." Contra scimus Senecae opera tam nota fuisse ut Quintilianus cum indignatione quadam dicat (inst. X, 1, 125) *tum autem solus hic fere* (scil. Seneca) *in manibus*

1) recte iudicavait Bureschius quoque, cum dixit in *consol. a*

adulescentium fuit, et paulo infra (127) *sed placebat propter sola vitia et ad ea se quisque dirigebat effingenda quae poterat: deinde cum se iactaret, eodem modo dicere Senecam infamabat.*

Iam huius disputationis summam faciamus: apparet auctorem quicumque consolationem Liviae composuit, usum esse Senecae consolationibus ad Marciam et ad Polybium scriptis, quarum illam anno p. Chr. n. quadragesimo aut initio sequentis anni scriptam esse Bureschius ostendit (l. c. p. 110—114), hanc anno quadragesimo tertio sive quarto a Seneca[1]) Corsicae scriptam esse constat. Ergo post annum quadragesimum quartum composita est consolatio Liviae. Et intra viginti fere annos proximos — si licet coniecturam proferre — carmen confectum esse censeo. Primum enim tum etiam Senecam maxima auctoritate usum esse et scripta eius viguisse notum est, haud permulto post iterum studium pristinorum — imprimis Ciceronis — revixisse. Iam Quintilianus, qui anno p. Chr. n. undeseptuagesimo Romam venit, *corruptum et omnibus vitiis fractum dicendi genus revocare ad severiora iudicia contendebat* (inst. X. 1. 125). Caput autem illius *corrupti generis dicendi* erat Seneca, in quem Quintilianus saepius invectus est (cf. supra). Quo tempore igitur consolatorem Senecam lectitasse atque ex eius scriptis argumentum quasi ad carmen conscribendum sibi sumpsisse veri simillimum est? Nonne tum cum Seneca princeps ut ita dicam litterarum erat, i. e. sub Nerone Caesare? Accedit

---

Graecis et Romanis script. hist. crit. (stud. Lips. vol. IX, p. 4) *et optima quaeque poetae suppeditabant, plurimosque locos philosophi antiquitus e poetis excerpebant quos aut disertis verbis exscribebant aut disiectis metri membris ad sermonem accomomodabant. Sic Axiochus Socraticus ille dialogus poetarum locis et apertis opertis refertus est; sic . . . .; nec aliter — u n o e x c e p t o S e n e c a — ceteri omnes, cuius rei aptissima exempla supersunt Ciceronis et Plutarchi quae huc pertinent scripta.*

1) non facio cum Bureschio qui censet a Seneca abiudicandam esse consolationem ad Polybium.

aliud argumentum. Neque enim iniuria quaestio est mota, num omnino post Neronis mortem consolatio Liviae conscribi potuerit. Post mortem enim huius imperatoris, in quo gens Iulia exstincta est, ea quae familiae Augusti acciderant accuratissime exornandi et explanandi studium — quod inesse consolatori ex omni fere versu apparet — certe non iam commovebat homines, ut recte monuit Schanzius *de incerti poetae consolatione ad Liviam deque carminum consolatoriorum apud Graecos et Romanos historia* diss. Marb. 1889, p. 12. Immo compositum est carmen eo tempore quo omnes in domum Augusti oculos convertere nondum desierant, id est quo Nerone mortuo gens Iulia nondum erat obruta, i. e. ante a. 68.

Terminus ante quem consolatio composita esse non potest — supra demonstravi hoc factum non esse ante a. 44 — firmatur etiam alio argumento, dicendi proprietatibus quibusdam quas in consolatione invenimus. Satis certam ad aetatem definiendam ansam praebet versus 393 *adde quod est absens f u n c t u s;* sensus: *adde quod absens mortuus est, neque tibi necesse fuit coram et ob oculos morientem illum aspicere; levius enim feriunt animos mala quae absentibus accidunt quam quae in oculos incurrunt et coram aspiciuntur.* De sensu igitur dubitare non licet: absolute positum est *functus* pro *vita, morte functus*. Neque autem ante Senecam invenitur hoc vocabulum nomine non apposito (cf. Hauptium l. c. p. 341); cuius in fabulis vocabulum *functus* notione verbi moriendi primum exstat: cf. Thy. 749 *utinam arcuisset! ne tegat functos humus;* Med. 999 *iusta iam functis habent | a me sepulti.* Inde ab Seneca saepius *functus* (= mortuus) scriptum videmus, ut apud Statium (Theb. III, 143; IV, 483; VIII, 11) aliosque. Circiter mediam igitur primi p. Chr. n. saeculi partem vocabulum *functus* in usum receptum videtur esse (cf. Sedlmayeri adnotationem in Goett. Gelehrte Anz. 1882, p. 833). Vel hac de causa Skutschii coniectura stare nequit. Ego autem hoc argumento adducor, ut eo certius dicam consolationem Neronis temporibus esse fictam, quibus temporibus in versibus

faciendis innummeram hominum turbam occupatam fuisse notum est [1].

Certius vero de auctore consolationis ipso dici nihil potest; tantum hoc apparet 'eum sibi proposuisse facere hoc carmen quasi Ovidium personatum non aliter atque plurimos versificatores spuria condidisse sub personis [2]) magnorum aureae aetatis poetarum' (Schanzius l. c.).

Ad finem totius disputationis perveni. Restat nunc ut summam quaestionis faciamus:

Cum auctor consolationis templum illud anno p. Chr. n. sexto a Tiberio dedicatum commemoret, cum Ovidii tristibus et epistulis ex Ponto usus sit, cum Senecae consolationes noverit et ad eas nonnumquam arte se applicaverit, cum de certis causis non liceat ultra annum p. Chr. n. duodeseqtuagesimum progredi, dubitari non potest quin consolatio ad Liviam conscripta sit Neronis imperatoris temporibus ab uno ex illis versificatoribus ignotis, quos tum permultos Romae fuisse scimus.

1) Hac ipsa aetate Ovidius quanta auctoritate usus sit, nuperrime recte exposuit Duffius in libro cui inscribitur *a literary history of Rome*, cum dicit (p. 610) *Ovid's authority in the rhetorical schools of the first century is shown by Quintilian's frequent citations. His mark on poetry was decided — Manilius Seneca Lucan Silius Statius Martial, and the writers of Priapea borrow from him. It was not unnatural that, besides the Nux and Consolatio, many imitations in elegiacs should be spuriously foisted on his name. Equally significant of his wide popularity are lines scratched on the walls of houses at Pompeii.* Cf. etiam quod hac de re acute iucundeque exposuit Friedlaenderus Sit. Gesch. III, p. 359.

2) v. etiam Zingerleium in libro qui inscribitur „Zu späteren lateinischen Dichtern", vol. I, p. 102 „eine auffallende Erscheinung, die vielleicht auch hier noch kurz berührt werden könnte, wäre die in der römischen Poesie auffallend häufige, schon früh beginnende und sich forterhaltende Unterschiebung oder Namensentlehnung von berühmten Vorbildern, nach denen man sich hauptsächlich gebildet hatte."

Index nominum propriorum.

Argumentum.

Vita.

Natus sum Henricus Oldecop a. d. VI. Id. Mart. anni 1887 patre Henrico, matre Wilhelmina e gente Dettmer Nienburgi, quod oppidum ad Visurgim situm est. Patrem ante hos quinque fere annos acerba morte ereptum mihi esse valde doleo. Fidem profiteor evangelicam. Primo in patrio oppido frequentavi progymnasium usque ad a. 1902, quo anno receptus sum inter discipulos gymnasii Verdensis, quod floret directore Friderico Dieck, viro humanissimo. Vere anni 1905 maturitatis testimonium adeptus Tubingae per sex menses aestivos litteris tum germanicis cum philologicis operam dedi; quae studia per duo semestria continuavi Bonnae, ubi interfui exercitationibus archaeologicis a Loeschkio rectis, philologicis a Buechelero, qui illis semestribus docuit ultimis. Postremo Georgiae Augustae civibus adscriptus sum, quorum in numero per septem semestria me fuisse vehementer laetor. Aestate anni 1910 examen pro facultate docendi superavi.

Docuerunt me viri doctissimi Tubingenses Fischer, Gundermann, Schmid, Spitta; Bonnenses Bickel (nunc Kiliensis), Buecheler †, Brinkmann, Deubner (nunc Regimontanus), Elter, Franck, Litzmann, Loeschke, Solmsen, Wilmanns †; Gottingenses Baumann, Husserl, Körte, Leo, Müller, Pohlenz, Schröder, Schürer †, Schwartz, Viertel, Wackernagel, Weissenfels, Wendland.

Regii philologici seminarii Gottingensis, cui prae-

erant Leo, Pohlenz, Schwartz, Wendland, sodalis fui per duo semestria, per totidem tempus seminarii germanici, ad quod Schröder et Weissenfels benigne me admiserunt.

Omnibus his viris doctissimis bene de me meritis gratias ago sinceras. Quid vero Friderico Leo, qui studiis meis maxime favit, et M. Pohlenz debeam, verbis dicere non possum neque umquam obliviscar.